

tionem, ob cuius defectum acta iudicis excommunicati dicuntur esse nulla. 4. *Laicus* in causa spirituali c. 8. h. t. tum quia hoc non decet; tum quia arbitria recitata sunt ad formam iudiciorum; laicus autem in causa spirituali nequit esse iudex. 5. Nemo in causa propria potest esse arbiter, ut nec iudex l. 51. ff. h. t. Ceterum jus permittit, ut arbiter esse possit pater, filius, familia, ingenuus, libertinus; infamis saltem de iure civili, imo & iudex ordinarius, vel delegatus l. 3. §. fegg. ff. c. 5. 7. 10. h. t. Nec obstat l. 9. §. 2. ff. eod. nam ex lege Julia iudex ordinarius non prohibetur esse arbiter, sed solum prohibetur, ne iudendo, aut alio modo cogat partes, ut in se compromittant. Similiter, cum jus neminem repellat ab arbitramento, quicumque potest esse arbiter, etiam laicus in causa spirituali arg. c. 4. §. 8. h. t. a sensu contrario; quia arbitrator non procedit via jurisdictionis, vel auctoritativae defensionis, sed potius via compositionis, quod potest laicus in causa spirituali, sicut & agere alicuiorem, vel consiliarium.

6. Q. IV. In quibus causis possit compromitti in arbitros? R. Generaliter in omnibus, quae specialiter non excipiuntur, cum tota res sit de genere permissorum. Excipiuntur autem. 1. Causae criminales, utpote publica auctoritate vindicanda l. 32. §. 6. ff. h. t. 2. Causae libertatis ibid. §. 7. 3. Causae in integrum restitutionis, nisi incidenter tractentur, leg. fin. C. ubi & apud quem. c. 9. h. t. 4. Causae matrimoniales super valore matrimonii cit. c. 9. h. t. & beneficiales, ne detur vitiosus ingressus in beneficia contra reg. 1. in 6. 5. Causae exemptionis, & privilegiorum Apostolicorum c. 5. h. t. Denique causae omnes, super quibus transactio non admittitur.

7. Q. V. Ad quid arbiter tenetur vi compromissi? R. 1. Arbiter, postquam semel hoc officium suscepit, tenetur in eo permanere, donec laudum dicat; alias recurre recusari, compellendus est auctoritate iudicis l. 3. §. 1. ff. h. t. 2. Tenetur observare ordinem iudicarium, secundum formam tamen compromissi quoad locum, tempus, & modum procedendi: & ideo partes citabit, lris contestationem injunget, probationes excipiet, contumaciam puniet, poenam, seu multam infligendo l. 39. eod. sententiam; seu laudum iuste secundum iura pronuntiabit, eamque non corriget, sive bene, sive male pronuntiaverit, cum semel suo officio functus sit, l. 19. 20. eod. 3. Si plures sint arbitri, singuli seorsim dicunt suam sententiam ad distinctionem actus capitularis, in quo unus nomine omnium pronuntiat. Et quidem de iure Can. c. 2. h. t. in 6. sufficit, ut major pars arbitrorum sententiet, si ceteri vocati ex negligentia interesse noluerint: at de iure civili ad valorem laudi requiritur omnium praesentia l. 17. §. fin. ff. d. 1. nisi in compromisso addita fuisset clausula: ut uno, alterove deficiente, reliqui nihilominus procedere valeant, l. 32. §. 13. ff. eod. Ex his iuribus quodlibet in suo foro observandum est. 4. In discordia arbitrorum pars major praevalet, nisi ex forma compromissi requireretur concors sententia omnium, c. 1. h. t. in 6. si pari numero discordent, eligenda est a partibus tertia persona, cuius auctoritati stetur. Tandem si omnes arbitri discordent, & pronuntiatum unius non continetur in pronuntiato alterius, non valet arbitrium: si autem pronuntiatum unius continetur in pronuntiato alterius, valet arbitrium de summa minori, modo intra terminos iustitiae continetur; v.g. unus condemnat in 5. alter in 7. & tertius in decem, valet sententia pro quinque; quia in illa summa omnes concordat exsunt, cit. c. 1. h. t. in 6.

8. Q. VI. Quomodo partes obligentur ex compromisso, & laudo arbitri? R. 1. Partes arbitro citanti,

precipienti, multam imponenti tenentur parere; cum ad hoc compromittendo se obligaverint. 2. Si compromissum absolute factum est, tenentur absolute parere laudo, seu arbitrio, saltem de ordinario, non secus ac transactio; & ideo etiam ex arbitrio datur victori actio in factum ad petendam ab ordinario iudice executionem laudi, vel exceptio veluti patti contra petentem l. 4. & pen. C. de recept. arbitri. At si in compromisso apposta est poena transgressori, obligatio est alternativa, vel implendi laudum, vel solvendi poenam, c. 9. h. t. & l. 1. cum aurb. decernit. C. h. t. Quodsi autem in arbitrio plura essent capitula, & pars unum capitulum reciperet, & alterum non, secluso alio pacto, non tenetur totam poenam solvere, sed proportionaliter secundum quantitatem transgressionis. 3. Si compromisso praeter poenam adjectum sit iuramentum de servando arbitrio, probabilis est, laudum esse servandum ob reverentiam iuramenti per c. 28. de iurei. cum observatio illius non vigeat in dispensatione salutis aeternae; nisi intentio iurantis fuisset alternativa, vel servandi arbitrium, vel solvendi poenam. Nec obstat Nov. 82. c. 11. ubi iuramentum adjectum compromisso est nullum: nam dispositio ista correctae est per jus Can. c. 2. h. t. cui consonat jus vet. l. 4. C. h. t. 4. Partes a laudo appellare non possunt l. 1. C. d. t. sed tenentur regulariter illi stare, sive equum, sive iniquum sit; saltem si expresse, vel tacite lapsu decem dierum homologatum sit, hoc est, contestatum, seu tacite approbatum, l. 27. diem proferre §. 2. ff. h. t. ubi Ulp. ait: *stari autem debet sententia arbitri, quam de re dixit, sive aequa, sive iniqua sit, & sibi impuget, qui compromissit.*

9. Q. VII. Quae remedia, & in quibus casibus dantur contra laudum iniquum? R. ad 1. Remedia ista sunt *reductio ad arbitrium boni viri*, hoc est iudicis ordinarii, quae reductio est quaedam species appellationis l. 32. §. 14. ff. h. t. l. 2. C. ubi, & apud quem, c. 11. h. t. *exceptio doli mali*, cit. l. 32. §. 14. & lib. 31. eod. & in casu lesionis ultra dimidium datur remedium celebre ex l. 2. rem. C. de resc. vend. cum hoc remedium etiam adversus transactionem datur. R. ad 2. Casus, in quibus non est obligatio standi laudo sunt 1. Si forma compromissi non est observata c. 6. h. t. in 6. 2. Si laudum adverteretur legibus, vel Sac. Canonibus, ut si quis condemnaretur ad solvendas usuras usurarium, vel ad dandam pecuniam pro beneficio Ecclesiastico, c. 2. h. t. 3. Si dolus malus in arbitrio manifeste intervenit; ut quia arbiter fuit pecunia corruptus, partem unam notorie, & gravissime lesit &c. l. 32. §. 14. ff. & l. 3. C. h. t. 4. Si pars enormiter laesa est ante homologationem laudi expressam, vel per decem dies tacitam, reclamare potest contra laudum. l. 5. §. fin. autem, C. h. t. quia in tali casu equitas suadet laesio esse succurrendum. In his casibus iudex, ad quem recurritur, est ille, coram quo alias causa ista proponenda fuisset, & ab hoc iudice reductio concessa videtur appellatio, cum nullibi reperitur prohibita arg. l. 20. C. de appell.

10. Q. VIII. Quomodo expiret compromissum? R. 1. Ex parte arbitrorum expirat morte etiam unius, vel deportatione, vel recusatone propter suspicionem odii capitalis, vel amissionem supervenientis cum altera parte. 2. Ex parte compromittentium expirat munio consensu, transactioe super re, morte alterutrius: sola tamen morte tutoris, vel procuratoris in rem alienam non expirat; solutione poenae &c. l. 13. ff. h. t. c. 10. eod. 3. Ex parte causae expirat lapsu temporis praefixi, defectu conditionis non implete, interitu rei, super qua laudum dici debuit; denique pronuntiatione laudi super tota causa l. 19. ff. h. t.

# LIBER SECUNDUS

## DECRETALIU GREGORII IX.

### De Iudicio Ecclesiastico.

In hoc libro exacte traditur totus processus iudicarius, tanquam secundum obiectum materiale iuris; neque solum in Canonico, sed etiam in foro civili magna est aestimatio, & utilitatis, cum ad ordinata actuum iudicialium series non reperiat expressa in corpore iuris civilis.

#### TITULUS PRIMUS

##### De Iudiciis.

Agitur de his in Sexto, Clementin. & Extrav. com. h. t. In Decreto 2. q. 1. §. 5. 9. 4. §. 14. q. 1. 15. q. 7. 16. q. 6. 30. q. fin. & Can. si quis in Trid. sess. 7. c. 14. sess. 24. c. 20. §. sess. 25. c. 10. de reform. §. sess. 13. c. 5. de reform. ubi de iudicio summario. In Institutionibus lib. 4. tit. 6. de actionibus cum seqq. in Pandectis lib. 5. tit. 1. In Codice lib. 1. tit. 4. lib. 3. tit. 1. §. 6. 7.

Hic recolenda sunt, quae in iure civili traduntur ad tit. de actionibus, quorum notitia ad intelligendum processum iudicarium est maxime necessaria.

Nota 1. Iudicium hic definitur, quod sit legitima controversia inter actorem, & rem ortae apud iudicem discretario, & definitio, ita com. ex c. 10. de P. S. §. 1. 9. 13. C. h. t. Et quantum nonnulli confundunt iudicium cum *questione, causa, lite, & instantia*, in rigore tamen haec omnia differunt: nam *questio* est ipsum ius controversium in iudicium deducibile; *causa* est idem ius actu deductum in iudicium; *litis* est actio, quares controversia deducitur in iudicium; *instantia* est exercitium actionis, quod lris contestatione incipit, & finitur, vel sententia definitiva, vel lapsu temporis a iure praescripti, ut biennii, aut triennii, l. 13. §. 1. C. h. t.

2. Nota 2. Iudicium quoad substantiam descendere ex iure naturali, quod dicitur in Republica debere esse aliquas personas publicas, quae litigantibus ius dicant, ne causae per violentiam dimittantur, sicut fiebat apud veteres per dissidationes, iam hodie sublatae. At quoad solemnitates iudicium est creatura iuris civilis, & Canonici, quia solemnitates istae inventae sunt a iure civili, & deinde in ius Canonicum translatae, ut patet ex hoc Libro II.

3. Nota 3. Iudicium varie dividi: & quidem ex parte finis in *civile*, in quo tractatur causa civilis, vel criminalis civiliter ad privatum commodum actoris, & *criminalis*, in quo tractatur causa criminalis criminaliter ad vindictam publicam, sive capitalem, sive non capitalem. Ex parte *causae efficientis* in *ordinarium*, quod sit a iudice ordinario, & *delegatum*, seu *extraordinarium*, quod a delegato, Ecclesiastico, & *seculare*, quorum illud ab Ecclesiastico, istud a iudice laico perficitur. Ex parte *formae* in *plenarium*, seu *solemne*, ut *ordinarium*, in quo omnes solemnitates, & apices iuris observantur; & *summarium*, seu *extraordinarium*, in quo proceditur de plano absque strepitu, & figura iudicii, sola rei veritate attenda. Denique ex parte materiae tot sunt divisiones iudiciorum; quot materialium, & actionum, ex quibus praecipuae hic referant. Primo itaque iudicium ex parte materiae dividitur. 1. In *spirituale*, in quo causae spirituales, vel hi, annexae, & *temporale*, in quo causae mere profane tractantur. Distinct *spirituale* ab Ecclesiastico, sicut species a genere, quia in Ecclesiastico agi possunt etiam causae profane Clericorum. *Temporale* autem distat a *seculari*, sicut genus a specie, cum causa temporalis etiam coram Ecclesiastico discutatur valeat. De iudicio spirituali Sacramentali nullus nobis hic sermo. 2. In *reale*, in quo actio realis; & *personale*, in quo actio personalis proponitur. 3. In *universale generale*, & *singulare*. *Universale* instituitur super uni-

versitate rei, hoc est, super corpore bonorum e diversis iuribus constato, uti est hereditas, territorium, Ecclesia &c. *Generale* fit super pluribus rebus, separatis tamen, & nullam universitatem constituentibus, uti est iudicium tutela, pro socio, negotiorum gestorum &c. *Singulare* fit super una re determinata, ut super hoc agro, grege ovium, &c. In *simplex*, in quo unus litigantium est actor, & alter reus; & *duplex*, in quo uterque litigantium est actor, & uterque reus: in processu autem is fit actor, qui prius provocavit; vel si uterque provocavit simul, forticendum est, vel a iudice determinandum, quis rei, quis actoris partes agat lib. 13. 14. ff. h. t. Ita accidit in iudiciis divortii familiaris hereditariae, communi dividendo, & finium regund. 5. In *petitorium*, in quo agitur de iure, & causae proprietatis; & *possessorium*, in quo agitur de possessione rei, aut iuris. Denique sicut actiones, ita & iudicia sunt *bona fidei*, vel *stricti iuris*, *penalia*, *arbitraria* &c.

4. Q. I. Quot persone constituent iudicium? R. 1. Tres principales, & necessariae: actor, reus, & iudex, c. 10. §. omni de P. S. & l. 62. ff. h. t. Actor est, qui actionem proponit, & ad iudicium provocat: in criminalibus dicitur *accusator*, cuius vicem saepe supplet fama, indicia criminis, vel ipsum officium iudicis in crimina inquirentis, c. 24. de accus. Reus, non a reate, sed potius a re, seu controversia ei mota dicitur, est, qui ab actore in ius provocatur: iudex vero, est, qui utrique parti ius dicit. R. 2. Personae accessoriae, seu auxiliares ex parte iudicis sunt *assessores*, seu *consiliarii*, quibus de iure communi non competit iudicium; *auditores* in curia Romana, & apud legatos Sed. Apost. qui in aliis tribunalibus dicuntur *referendarii*, qui prius causam examinant, eamque referunt ad iudicem ex merito decidendam: *notarii*, seu *actuarii*, aut *protocollarii*, qui acta iudicialia notant, & in protocollum, seu tabulas, aut librum actuum referunt: *nuncii*, seu *apparitores*, *viatores*, *pedelli*, qui iussu iudicis, exequantur, citationes ad partes deferendo &c. Et horum persone sunt *sanctae*, cum a malitia hominum quoad actus sibi injunctos immunitate gaudeant. Ex parte litigantium sunt *advocati*, *procuratores*, *alias competenti iudicare*: R. Praecipue in his tribus. 1. Si coram alio iudice egit advocatum in eadem causa arg. l. fin. C. de accessoriis. 2. Si ipse in alio iudicio confirmat causam habeat, c. 18. h. t. 3. Nullus inferior potest esse iudex in propria causa, hoc est, cedente in proprium commodum, & utilitatem. Ita rubrica & l. un. C. ne quis in sua causa iudicet, vel ius sibi dicat. Cui consonat l. 10. ff. de iurisd. & Can. 27. Inter querelas 23. q. 4. ubi reprehenditur Episcopus, quod in causa propria iniuriam sibi illata, excommunicationem tulit: nam in his casibus propter naturalem erga se propensionem suspicio est iniqui iudicii. Nec obstat, quod iudex injuriam notoriam sibi ut iudici illatam punire possit ad vindictam publicam, vel Episcopus iudicare in causa suae Ecclesiae, quae ipsi Episcopo non est communis: nam in his, & similibus casibus causa non est propria iudicis, sed potius officii, aut Ecclesiae; adeoque cessat causa suspicionis. At contra supremus Princeps, ut Papa, Imperator, Rex, iudicare potest in propria causa inter ipsum, & subditum mota l. un. C. si quis Imperat. maled. l. 41. ff. de hered. instit. & c. 12. h. t. ubi lis super privilegiis Apostolicis orta,



fili Sedi Apostolicæ reservatur decidenda. Ratio est, tum quia Princeps non tenetur se submittere iudicio inferiori; tum quia suspensionem in Principe sufficienter purgat summa dignitas, & æquitas in legislatore præsumpta. Consultus tamen est, ut in talibus causis arbitri eligantur l. 2. c. si advers. Fife.

6. Q. III. Qui habent legitimam personam standi in iudicio? R. In reo necessario nulla specialis qualitas requiritur; quia iste invitatus trahitur ad iudicium: at in reo voluntario, qui sponte venit ad defendendum, & multo magis in actore, requiruntur speciales qualitates, scilicet, ut sit homo liber, majorennis, & nullo jure prohibitus a iudicio. R. 2. Quilibet in iudicio stare potest, nisi specialiter prohibeatur: prohibentur autem. 1. Infantes, amenes, prodigi, surdi, muti, pro quibus tamen curatores agunt, l. 12. §. fin. ff. de tutor. l. 1. c. de curat. fur. 2. Pupilli sine auctoritate tutoris in suum damnum l. 1. c. qui leg. vers. ubi in l. fin. excipitur causa momentanee possessionis. 3. Minores sine auctoritate curatoris, quo si careant, dandus est eis curator ad litem §. 2. in de curat. Excepi causas spirituales, ut matrimonii, beneficii &c. in quibus minores habentur pro majoribus c. fin. h. t. in 6. item in causis alimentorum, & si minor veniam ætatis impetravit l. 2. c. de his qui ven. & quoties consuetudo aliud habet. 4. Filius sine consensu patris contra extraneum, c. fin. h. t. in 6. & l. fin. Cod. de bon. qualib. nisi agat in causa spirituali, vel nomine alieno, ut tutorio, vel circa peculium castrense &c. contra patrem autem agere nequit, nisi obtenta prætoris venia l. 13. ff. de in jus voc. 5. Excommunicatus rancum actor, nisi in causa suæ excommunicationis, vel periculi anime, ut in matrimonialibus c. 7. h. t. Et quidem, si vitandus est, removeri debet exceptio, vel ex officio iudicis: respondere autem regulariter debet per procuratorem, nisi causa esset nimis ardua, & non adesset procurator idoneus, & gratuitus. ibid. 6. Religiosus sine consensu Prælati, nisi habeat beneficium Ecclesiasticum, vel agat in causa sua contra Prælatum, v. g. ne ejiciatur, alimentis privetur &c. At Prælatum in causa communi Ecclesiæ agere, & respondere potest sine capitulo cap. 21. de rescript. nisi causa simul spectaret ad administrationem capituli. Parochus, si solus administrat bona Ecclesiæ, admittitur in iudicio, si cum Episcopo, is utopie major præferendus erit. Circa Prælatos regulares consulenda sunt propria statuta. 7. Mulier honesta, præsertim illustri, in causa civili non potest invita personaliter trahi in iudicio: si tamen vult, potest agere, & respondere c. 2. h. t. in 6. 8. Servi proprie dicti, cum non habeant communicationem juris civilis, nequeunt stare in iudicio, nisi litigent in causa sui status, libertatis &c. Ceterum persone istæ, dum utilitas publica exposcit, v. g. in causa perductionis, hæreticis &c. plerumque admittuntur ad iudicium.

7. Q. IV. An quis invitus compelli possit ad agendum? R. Negative: ita rubrica cum l. un. c. ut nemo invitus agere, vel accusare cogatur. Excepi, nisi jam litem inchoaverit, vel alterum diffamaverit l. 5. diffamari c. de ingen. vel nisi ex quasi contractu ad agendum sit obligatus, uti tutores, administratores, hæres pro vindicanda necesse defuncti &c. at in reum, etiam invitum, iudicium reddi potest. Ceterum in causis saltem civilibus nec actor, nec reus cogi potest, ut personaliter in iudicio compareat, cum jus concedat procuratorem c. 2. de procurat. l. 1. & fin. c. eod. nisi specialiter lex, vel rescriptum Principis aliud jubeat. Et quamvis ea, quæ sunt facti, regulariter ab ipsis partibus, utopie his notiora, proponenda forent c. 14. h. t. l. 79. ff. eod. pro varia tamen conditione personarum relinquuntur, ea proponi per advocatum, maxime si pars adversa non contradicat.

8. Q. V. Qua sit materia, seu objectum iudicis? R. Omnis causa, seu res inter partes controversa, licet non quælibet causa a quolibet iudice iudicari possit, sed solum a competente. Unde 1. Cause mere Ecclesiasticæ, hoc est spirituales, uti sacramenta, vel spiritualibus annexæ, uti jusdecimarum, beneficii, patronatus, sepultura, & hujusmodi tractandæ sunt coram iudice Ecclesiastico privative c. 2. 3. c. h. t. 2. Cause profane laicorum regulariter coram iudice seculari agi debent c. 10. de for. comp. nam Papa, & Præ-

lati Ecclesiastici, extra suum territorium temporale directe jurisdictionem non habent in temporalia, nisi per accidens, & indirecte ratione peccati, vel nisi per privilegium, aut consuetudine aliud concedatur. 3. Cause mixti fori subsistant iudici tam Ecclesiastico, quam laico, ita ut locus sit preventio, cuiusmodi sunt recessus ab Ecclesiâ peita contra laicum c. 1. de integ. res. actus juramento firmati, omnia delicta, excepta hæresi, & simonia, quæ sunt mere Ecclesiasticæ, licet hodie in gravioribus delictis, ut furti, homicidii &c. raro interponat se iudex Ecclesiasticus. Item ex communi sententia, & praxi tribunalium, questio meri facti, cui nihil juris admisceatur, super re spirituali, dicitur esse mixti fori, v. g. an sit juratum? an matrimonium contractum? an laicus turber Clericum in iure decimandi &c. Ita colligitur ex c. 2. de jurei. in 6. ubi laicus permittitur cognitio de juramento, & c. fin. h. t. possessorium saltem meri facti super jure eligendi instituitur coram laico iudice Florentino: tum quia laicus cognoscere potest de injuria illata, v. g. Clerico, aut Ecclesiæ cap. 8. de for. comp. lib. 10. c. de Episc. & Cleric. ergo etiam cognoscere potest, an quis Clericum turber in iure decimandi. Ratio est, quia tale factum nihil spirituale continet, ergo cognosci potest a laico: & quia excipitur super re spirituali, & plerumque delictum continet, cognosci etiam potest ab Ecclesiastico. Nec obstat c. 12. de sentent. excom. in 6. nam ibi principaliter miscetur questio juris, an malefactor sit ipsa sit Clericus. Similiter questio facti super hæresi, aut simonia, cum vi pura possit dari sine admixta questione juris, pertinet ad iudicem Ecclesiasticum c. 13. de Heret. & c. 18. §. prohibemus eod. in 6.

9. Q. VI. Quid sint cause connexæ, & coram quo iudice tractandæ? R. Ad 1. Cause connexæ, seu continentes sunt, quæ habent communem liquidationis qualitatem, & rationem, neque una sine altera expediendi solet. Fit autem connexio, seu continetia causarum pluribus modis: ratione personarum, ut inter plures coheredes, tutores, locos &c. ratione actionis universalis: aut generalis, ut in petitione hæreditatis, in actione tutelæ, ubi de diversis rebus, & iuribus agitur: ratione rei controversæ, circa quam plures questiones moventur, ut principales circa hæreditatem, incidentis circa filiationem &c. ratione reconventionis, ut si Titius agens ex vendito reconvenitur super mutuo &c. R. Ad 2. Continentes, seu connexæ cause regulariter ab uno, & eodem iudice cognoscendæ sunt, c. fin. de rescript. l. 1. & fin. ff. de quib. reb. ad eundem l. 5. c. arbit. smel. l. 10. c. h. t. ex quibus iuris nata est regula: continetia causarum non est dividenda. Arque id verum est, etsi iudex respectu cause connexæ incidentis, si hæc principaliter proponeretur, non esset competens, quia ipsa continetia ex dispositione juris facit eum competentem l. 3. c. h. t. ubi iudex principaliter cognoscens super causa bonorum, incidenter cognoscere potest super causa status libertatis, aut servitutis, licet alias super causa status, si principaliter proponeretur, non posset cognoscere. At si iudex respectu cause alterius connexæ, non tantum per se esset incompetens, sed etiam incapax, nullo modo de illa potest cognoscere, etsi tantum incidenter proponatur, sed tenentur eam ad proprium iudicem remittere, sicut laicus causam spirituales tenetur remittere ad Ecclesiasticum, quia respectu cause spiritualis est simpliciter incapax. Can. 3. de ord. cognit. c. 7. qui filii leg. ubi questio nativitatis legitime a iudice Ecclesiastico decidenda dicitur.

10. Q. VII. Quis sit iudex causarum feudalium? R. Si lis oriatur inter duos vasallos, cognitio pertinet ad dominum; si vero inter vasallum, & dominum, decisio lris spectat ad pares curiæ, seu vasallos conjudices, lib. 2. f. tit. 55. §. fin. nam jus in his causis tribuit jurisdictionem domino, & vasallis c. 5. h. t. etsi vasallus esset Clericus c. 6. 7. de for. comp. R. 2. Si lis oriatur inter vasallum, & extraneum, vel miscetur causa extraleudalis, v. g. an fundus sit allodialis; cognitio pertinet ad iudicem ordinarium, quia dominus in extraneum, uti & in causas allodiales nullam habet jurisdictionem.

11. Q. VIII. In quo consistat forma iudicii? R. 1. Forma iudicii plenarii consistit in solemnitatibus a ju-

re præscriptis, uti sunt oblatio libelli, litis contestatio, & alia de quibus in hoc libro agitur. R. 2. Forma iudicii summarii consistit in his, quæ de jure naturali, & Pontificio requiruntur ad iustitiam iudicii, uti sunt propositio cause, ejus probatio, citatio, & descriptio rei, ne sit inauditus condemnatur, prolatio sententiæ, & insuper ex Clem. 2. l. 1. de V. S. requiritur iuramentum calumnix, & veritatis, ut petitio actus inferatur, sententia in scriptis proferatur, postiones, & articuli admittantur. Porro iudicium summarium adhibetur in causis levibus, in quibus sufficiunt leviores probationes, etiam quandoque semiplene; item in causis gravibus, quæ celerem expeditionem exposcunt: & in his, licet de plano procedatur, tamen plena probationes requiruntur; cuiusmodi sunt cause electionum, decimarum, matrimoniorum, usurarum, pauperum, & miserabilium personarum, mercedum, alimentorum &c. item cause etiam criminales Regularium. Plura de iudicio summario maxime criminali vide in mea Epitome iudicii summarii.

12. Q. IX. Quando instantia iudicii finiatur? R. Prolatâ sententiâ definitiva, quia tunc iudex functus est suo officio, l. 55. ff. de re jud. 2. De jure civili lapsu temporis, scilicet trienni in causa civili, & biennii in criminali l. 13. c. h. t. quod tamen hodie non observatur. De jure autem Canonico veteri, quo advertebantur appellationes ab interlocutoria, instantia fuit perpetua, ne lites ex libidus nascerentur c. 20. h. t. c. 5. de in integr. rest. c. 14. de privileg. Et quia Trid. sess. 24. c. 20. de res. antiquam dispositionem non sustulit, sed tantum permisit, ut partes, si velint, lapsu biennio, adire possint Superiorem, sequitur adhuc hodie de jure Canon. instantiam esse perpetuam, donec lis per sententiam definitivam decidatur, vel partes sponte renuntient iudicio, vel iudex ex justa causa partem aliquam absolvat ab observatione iudicii. Excipitur instantia secunda appellationis, cui annus, vel ex causa biennium datur c. 5. de appell.

13. Q. X. Quis sit effectus iudicii validi? R. Triplex potissimum referatur. 1. Terminatio litis, quæquæque consequitur, quod suam est. 2. Acta coram iudice competente valent, & fidem faciunt in alio iudicio c. 11. de rescript. 3. Si sententia transivit in rem iudicatam, in utroque foro admittenda est c. fin. de except. in 6.

14. Q. XI. Ex quibus causis iudicium reddatur invalidum? R. Ex seqq. 1. Ex defectu competentis iudicis c. 4. h. t. 2. Ex defectu litigantium, si non habeant legitimam personam standi in iudicio. 3. Ex defectu mandati procuratorii. 4. Ex omissione actus, vel solemnitatis substantialis, uti citationis, contestationis litis &c. vel si ordo iudicarius inversus fuit. In Camera imperiali, & Curia Romana post Const. Pauli V. reformatorianum tribunalium, ad invalidandum iudicium tres tantum solemnitates attenduntur: Judex incompetens, Procurator mandato insufficienti destitutus, & ommissa citatio.

15. Q. XII. An acta iudicis existimari in concursu erroris communi sustineantur ut valida? R. Affirmative ex celebri lib. 3. Barbarius ff. de offic. prætor. relata in Can. 1. in fin. §. 9. 7. ubi acta Barbarii servi in præturam evecti, eo quod communiter habitus sit pro libero, pronuntiantur valida, & c. 24. de sent. & de re jud. sententia a notorie excommunicato prolata declaratur irrita, ergo si excommunicatio nota non fuisset, valuisset ejus sententia. Ratio est, quia in tali casu reprob. vel Ecclesiæ propter utilitatem publicam, & ad evitanda plurima incommoda, quæ ex revocatione talium actuum sequerentur, supplēt jurisdictionem iudicis existimari. Respectu vero jurisdictionis in consensu, uti valide absolvat iuxta probabiliorum sententiam præter titulum colatorum, quando scilicet hic collatus est, sed invalide, vel a principio, vel in decursu temporis propter aliquem occultum defectum, simul etiam requiritur error communis, idest cum communiter putatur aliquem habere verum titulum, quem non habet.

In quo casu, accedente bona fide penitentis, valida erit absolutio. Quod si postea penitens scias jurisdictionis defectum, vel absolutio de validitate sue confessionis, tenetur eam reiterare coram legitimo confessorio, ut declaravit Congregat. Concilii in Pa-

lavina 11. Decembris 1683. ad 2. dub. a me recognitum. *TA*

At si detectus a potestate humana sit insappellabilis, actus cum illo gestus est invalidus, sicut absolutio data a non Sacerdote. Ex his solvantur c. 54. v. in fine de elect. l. 15. ff. de jurisd. cum similibus l. 10. ff. de Decur. nam procedunt de errore, & facto privato, non vero communi, & publico, occasione cuius suprema potestas supplet jurisdictionem inferioris.

TITULUS II.

De Foro competente.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clem. hoc tit. in Decreto dist. 96. §. 3. q. 6. & 6. q. 3. & 11. q. 7. & 21. q. 5. In Trid. sess. 7. c. 10. sess. 13. c. 6. ff. 27. c. 6. sess. 24. c. 5. & 20. de res. In Pandectis lib. 5. tit. 1. in Codice lib. 3. tit. 13. usque ad 27.

1. Nota 1. Licet hæc duo: forum, & forus frequenter in usum confundantur, in rigore distingui: nam forum in neutro significat locum deputatum ad vendendum, unendum, & ita dicitur forum horarium, vinarium &c. Forus in masculino significat, & jurisdictionem exercentis iudicium, & locum exercendarum litium, seu tribunal, auditorium, & in Ecclesiasticis consistorium c. 10. de V. S. ubi lidorus ait: Forus est exercendarum litium locus, a fundo dictus, sive a Forone Rege, qui primus Græcis legem dedit.

2. Nota 2. Forum aliud esse competens, in quo reus conveniri potest, & debet: aliud incompetentis, in quo reus conveniri nec debet, nec potest. Cetera divisiones fori coincidunt cum divisionibus jurisdictionis, & iudicii. In eodem sensu iudex dicitur competens, vel incompetentis. Est autem iudex alius incompetentis per se, cuius tamen iudicium per accidens prorogari potest a partibus, ut vi prorogationis fiat competens, alius omnino incompetentis, seu incapax, cuius iudicium neque a partibus prorogari potest, uti est laicus respectu Clericorum, & causarum spiritualium c. 2. de jud. & c. 2. 12. hoc tit.

3. Nota 3. Fori competentiam generaliter deditur ex triplici capite: 1. Ex qualitate cause Ecclesiasticæ, secularis, mixtæ, feudalis: & de hac competentia dictum est in præced. 2. Ex persona iudicis, quia is habet jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, vel ratione prorogationis, preventiois, appellations, de suo loco. 3. Ex persona rei ratione domicilii, rei sitæ, contractus, & delicti: qui quotus sunt ordinarii modi fortiendi forum c. fin. h. t. item ratione privilegii certis personis concessi, ut in alio foro conveniri nequeant. His notatis agatur hic 1. De foro competente ratione prorogationis, & preventiois. 2. Ratione domicilii, rei sitæ, contractus, & delicti. 3. De foro privilegiato Clericorum, & quorundam laicorum. 4. Tandem de foro communi Curia Romana, & jure revocandi domum.

§. I.

De Foro competente in communi, & ratione prorogationis, ac preventiois.

4. Q. I. In quo foro alior convenire debeat reus? R. In foro, seu coram iudice ipsius rei. Ita regula generalis in l. fin. c. ubi in rem, c. 5. 8. h. t. actor rei forum, sive in rem, sive in personam sit actus, sequitur nam ille iudex est adendus, qui reum ad iudicium cogere possit; talis autem non est, nisi iudex ipsius rei. Nec obstat l. 5. diffamari c. de ingen. nam in hoc iudicio diffamatoris ipse diffamans, seu provocans in iudicium, habetur pro actore, adeoque debet sequi forum diffamati. Porro actor trahens reum ad iudicem incompetentem, perdit actionem, reus vero cogens actorem, ut se conveniat in foro incompetenti, habetur pro confesso: denique iudex incompetens ferens, & exequens sententiam puniatur capitaliter, l. 5. c. de jurisd. omni. jud. hæc tamen poenæ, præsertim quoad iudicem, hodie non observantur.

5. Q. II. Quid juris, si reus citetur ad iudicem incompetentem? R. Si iudex notorie est incompetens, reus non tenetur comparere, cum non sit ei subiectus: si ve-



si vero exemptio rei non est manifesta, tenetur comparere, & docere de privilegio sive exemptionis, cum iudex prebilitate ignorare possit tale privilegium, *arg. c. 1. de cons. in 6. R. 2.* In dubio de competentia iudicis reus citatus tenetur comparere, & si sub initium opponat exceptionem incompetentie fori declinatoriam, iudex de illa cognoscit. Ita Ulp. l. 5. ff. de iud. ibi: *prætoris est enim estimare, an sua sit iurisdictio, vocari autem non committere auctoritatem prætoris.* Ratio primi, quia præsumptio stat pro competentia iudicis, seu personæ publicæ, cui videtur melius constare, an iurisditionem habeat in tali casu. Secunda pars habetur *cit. l. 5. & l. 2. §. 6. eod. de iudice delegato l. 2. C. si contra ius.* Ratio est, quia hic iudex non iudicat in propria causa, cum ex ministerio iudicandi nullam utilitatem habeat. At si quis iudici obijciat defectum circa titulum proprietatis, seu jus iurisditionis, non possit in hac causa, utpote propria, iudicare. **R. 3.** In dubio, an causa sit iudicis Ecclesiastici, vel laici, pronuntiat Ecclesiasticus, *c. 12. de sent. excomm. in 6. ubi in casu, an malefactor sit Clericus: iudicat Ecclesiasticus: tum quia convenit, ut in dubio maior, & dignior potestas iudicet; tum ne iudex laicus casu, quo causa esse mere Ecclesiastica, exponat se periculo nulliter dicendi sententiam; que ratio non militat contra Ecclesiasticum, cum iste non sit incapax respectu cause profane.*

**6. Q. III. Quid sit forum prorogationis, & quibus modis fiat?** **R.** ad 1. Est illud, dum partes scienter, & libere consentiunt in iudicem non suum, & ejusque iurisditionem extendunt ultra proprios limites; ut si duo Pragenses subiciant se iudicio iudicis Viennensis, l. 1. 2. pr. ff. de iudic. l. 18. ff. de iurisdict. c. 40. de off. deleg. ut autem prorogatio ista fieri possit, requiritur in persona iurisdictio aliqua, alias quod non est, prorogari nequit. **R. ad 2.** Prorogatio fit 4. modis; 1. *De persona ad personam*, dum non subditi subiciunt se iudici alieno, & hic debet esse ordinarius, l. 1. 2. ff. de iud. 2. *De re ad rem*, seu *de causa ad causam*, dum partes iudici consensum ad certam causam submittunt se quoad aliam similem, v. gr. de quantitate minoris 100. ad quantitatem majorem 200. aureorum, l. 74. ff. de iudic. 3. *De tempore ad tempus*, dum tempus iudicis definitum, antequam elapsum sit, partes ulterius prorogant, & extendunt, l. 1. pr. ff. de recep. arb. 4. *De loco ad locum*, dum iudex in certo loco ad iudicandum constituitur, de consensu partium in alio iudice: si vero translatio fiat ad alienum territorium, requiritur etiam consensus iudicis *arg. l. fin. ff. de iurisdict. l. 1. de re ad rem*, seu *de causa ad causam*, vel de causa diversa ad diversam *c. 40. de off. deleg.* Prohibentur autem in causa reservata Principi, in criminalibus, feudaliibus, & appellacionibus, ne præiudicium fiat Reipubl. domino, & iudici superiori.

**7. Q. IV. Qui prorogare possint iurisditionem iudicis non sui?** **R.** Omnes, qui habent legitimam personam standi in iudicio, nisi specialiter a iure prohibentur: nam l. 1. 2. pr. ff. de iud. generaliter permittitur hac prorogatio. Prohibentur autem 1. Procurator, nisi mandatum speciale habeat, vel constitutus sit *cum libera, c. 4. §. de procur. in 6. 2. Laici in causis spiritualibus c. 3. de paroch. & Clerici etiam in causis temporalibus, sine consensu proprii Episcopi non possunt in se prorogare iurisditionem alieni iudicis Ecclesiastici, etiam metropolitani *c. 18. h. t. & c. 1. eod. in 6. ne regim. Ecclesiasticum confundatur. 3. Laici in causis spiritualibus, Clerici autem, & Religiosi in quacunque causa, etiam de consensu Episcopi, nequeunt se submittere iudici laico, *c. 18. h. t. & c. 2. de iudic.* nam laicus respectu Clericorum, & causarum spiritualium est omnino incompetens, & incapax, quam incapacitatem a iure communi in lege divina fundato inductam tollere nequit Episcopus. 4. Regulares exempti non possunt in se prorogare iurisditionem saltem contentiosam sui ordinarii. Ita com. ex c. 2. de in iur. reg. res. & c. 5. de arbit. ibi: *cum est sponte voluntis: tum quia hac prorogatione lederetur ius, quod per exemptionem questum est Sedi Apostolicæ; tum quia Papa est proprius diocesanus exemptorum; sine***

hujus autem consensu non licet Clericis alieno diocesano se submittere. Imo attentio rigore juris, exempti neque iurisditionem voluntariam sui ordinarii possunt in se prorogare, v. g. ad absolvendum a censuris, & peccatis, dispensandum in votis, jejuniis, recitatione horarum Canon. &c. Ita Abb. Rodriq. Sum. & alii contra Sanch. Laym. Pirh. &c. nam in materia generaliter prohibita non intelligitur concessum, nisi specialiter sit expectum, *Clem. 1. v. nam ubi de P. S. sed Episcopis generaliter prohibetur exercere iurisditionem in exemptos; nullibi vero conceditur talis prorogatio, ergo. At de aequitate, tacito consensu Papæ, & consuetudine, saltem, si Prelatus reg. non est præditus tali potestate, possunt exempti se subijcere Episcopo pro absolutione, dispensatione &c. *arg. reg. 61. in 6. Hoc, & non plus probant argumenta advertariorum. 5. Studiosi possunt declinare forum Academicum, & alieno iudici se submittere, cum hoc nulli iure scripto prohibeatur, licet consuetudo sit in contrarium in multis locis, que observanda erit, ne contemnatur magistratus Academicus, & disciplina scholastica relaxetur.**

**8. Q. V. Quomodo indicatur forum preventionis?** **R.** Sola etiam citatio verbalis legitime interposita, dum unus iudex competens citando præoccupat iurisditionem alterius in eadem causa competentis; ut in causis mixti fori, & in delegatione plurium, ut singulorum in solidum. Ita com. ex c. 19. h. t. nam sola citatio in decretum redacta percutat iurisditionem tam ordinarii, quam delegati, *c. 20. de off. deleg. & per l. 30. ff. de iud. ubi acceptum est semel iudicium, ibi & finem accipere debet.* Unde 1. mutatio domicilii, vel acquisitio fori privilegii per assumptam militiam, vel statum Clericalem, citatio preventionem non eximit a iurisditione iudicis preventionis, nisi in superveniente privilegio Princeps aliud exprimat: quo sensu procedit l. 12. pr. ff. si quis caution. iudex tamen laicus cum, qui post citationem factus est Clericus, non condemnabitur pena corporis afflictiva, sed tantum pecuniaria. Ratio est, quia mutatio, vel privilegium superveniens regulariter non obest iudicio per citationem radicato l. 19. ff. de iurisdict. l. 7. ff. de iud. 2. Si plures correi ad eundem iudicem competentem spectent, citatio unius inducit preventionem fori respectu aliorum, ne continentia casuum dividatur. Secus si alter correi esset de iurisdict. alterius iudicis, ut si Clericus delinquat cum laico, tunc enim quisque a suo iudice, iudicandus est.

§. II.

De foro competente ratione domicilii, rei sitæ, contractus, & delicti.

Hic circa domicilium recolenda sunt ea, que ad tit. ff. ad munic. tradit solent, & quidem pro presenti.

**9. Nota 1.** domicilium in genere esse locum habitationis diuturnæ. Dividitur in *communis*, quod olim erat Roma communis omnium civium Romanorum patria: & de hoc ad finem h. t. aliqua dicuntur: & *particulare*, seu *privatum*, quod quisque in certo loco figit: & hoc est duplex: *naturale*, seu *domicilium originis*, in quo quis natus est, & *accidentale*, seu *adventitium*, aut *habitationis*, in quo quis habitat, & hoc iterum vel est *domicilium verum*, seu *simpliciter tale*, in quo quis perpetuum incolatum figit; vel *quasi domicilium*, in quo quis per notabile tempus moratur, sicut famuli, ancille, & studiosi causa studiorum.

**10. Nota 2.** Domicilium originis acquiritur vel natiuitate propria, vel ab origine patris, & avi (ceterorum ascendentium origo non attenditur) vel ab origine matris, si patrem demonstrare non potest, l. 24. ff. de statu hom. Si quis vero parentibus peregre profectus in via sortitus natus est, tunc tantum fit originarius illius loci, si parentes, priori domicilio dimisso, necdum actu aliud domicilium acquisiverunt; alioquin originem suam debet loco, in quo parentes actu domicilium habent, l. 9. ff. de captiv. & l. 1. C. eod. qua distinctione explicatur l. 7. C. de incol. & l. 6. pr. ff. ad munic. Hodie, quidquid fit de iure scripto, ex generali consuetudine ad sortendum forum non attenditur locus originis, sed habitationis; cui consuetudina favet

favet *c. fin. de Paroch.* ubi christiani ex variis Palæstine civitatibus translati Aconem, hic, & non ibi dicuntur conveniendi. Unde totum nobis sermo de domicilio habitationis.

**11. Nota 3.** ad constituendum domicilium verum duo requiri, & sufficere, scilicet *animus stabiliter*, seu perpetuo habitandi, nisi aliquid avocet; & *factum* habitationis in tali loco l. 20. ff. ad munic. & si hæc duo requisita concurrant pro duplici loco, in utroque constituetur domicilium, & forum *c. 15. h. t.* ut si quis stabiliter habitat in uno loco per medium annum, & in altero similiter per medium. Insuper habitatio non solum vera, sed etiam ficta sufficit ratione alicujus conditionis, vel officii: sic Senator acquirit domicilium in ea civitate, in qua Senatoris officium gerit, miles ubi stipendia meret, Religiosus in loco monasterii, uxor in loco mariti, ubicunque alias resideant.

**12. Q. I. An forum domicilii veri sit generalis competentens cum omni foro quoad universalem iurisditionem tam contentiosam, quam voluntariam?** **R.** Affirmative ex communi sententia. Prob. ex l. fin. Cod. ubi in rem: ubi forum domicilii vocatur generaliter forum his verbis: *aliorum forum rei, five in rem, five in personam sit actio, sequitur: nam ratione domicilii incola sit absolute subditi iudici, semperque talis manet, donec mutet domicilium.* Excipitur servus, liberus, uxor, qui conveniendi sunt coram iudice domini, patroni, & mariti l. 22. ff. ad munic. lib. 1. C. ubi causi. stat. & heres ex persona defuncti ibi continare debet iudicium, ubi defunctus illud incepit, l. 34. ff. de iudic. Ex data resolutione.

**13. Sequitur 1.** Reum ratione rei sitæ in alio loco, conveniri etiam posse in foro domicilii. Ita Gloss. in l. fin. C. ubi in rem. Abb. & com. contra Gloss. in c. 7. h. t. P. Friderich. Trentacineque &c. Prob. ex cit. l. fin. ubi pro actione reali duplex forum assignatur: generale domicilii in primis verbis: *Aliorum forum rei &c.* & speciale rei sitæ in verbis postpositis: *sed & in loco, in quibus res, propter quas contentiones constitute sunt, jure dicitur in rem actionibus adversus possessionem moveri.* Item colligitur ex l. 10. 11. ff. de R. P. l. 1. ff. de reb. quib. iud. Ratio est, quia actio realis non intentatur in rem nude lumpsum, sed ut relatum ad suum possessorem; sed possessor est absolute subditi iudici domicilii, ergo coram eo conveniri potest. Excipitur hic semper causa feudalis, & iudicium momentaneæ possessionis ob specialem rationem; ne partes ad rixas, & ad arma volent: exemplum est in l. 14. C. de agricul. Nec obstat, c. 3. h. t. nam procedit de iudicio speciali secundum consuetudinem, Ecclesie Africana, ubi Primas, seu Archiepiscopus iudices electissimos dabit; vide hic Gonz. vel textus iste procedit de congruentia, quia Primas loci majorem notitiam rei habet. Hæc etiam opposi solet *cit. l. fin. C. ubi in rem, ibi: jubemus, & l. un. C. ubi de possess. l. un. C. ubi fideicom. l. 2. C. de iurisdict. l. 38. ff. de iud. l. un. C. ubi de hered.* sed hæc iura assignantia forum speciale, non excludunt generale domicilii, ut legendi patet.

**14. Sequitur 2.** Reum ratione contractus, vel constituti de solvendo in certo loco, vel ratione delicti, etiam in foro domicilii conveniri posse, etsi alibi contracterit, vel deliquerit, l. 19. §. fin. ff. de iud. c. 17. h. t. *Auth. qua in provincia, C. ubi de crimin. & l. fin. C. de preser. lon. temp.*

**15. Q. II. An quis in loco quasi domicilii sortitur forum?** **R.** 1. Ex generali consuetudine sortitur forum internum, & sacramentale, excepto ordinis Sacramentato. Unde Legati in loco legationis, studiosi, famuli, & ancille, ubi operas suas locant, acquirunt jus Parochie; ligantur legibus loci, percipiunt Sacramenta, inveniunt matrimonium, dispensantur in votis, & juramentis, sicut alii Parochiani. **R. 2.** Ex actibus, vel delictis in loco quasi domicilii gestis acquiruntur forum externum, ut com. docet: imo probabilius ex actu alibi gesto potest quis conveniri in loco, seu foro quasi domicilii: ita Abb. Felin. Reiff. & alii contra Host. Falic. &c. Ita colligitur ex l. 2. C. ubi de crimin. ubi flagitarius dicitur posse conveniri ubi agit; hoc est, ut explicat Glossa, ubi moratur, sicut reholatus in scholis, & l. 2. C. ubi Senator. Senatores etiam in suburbanis, ubi est quasi domicilium, respondere te-

nentur: nam æquum est, ut quasi incolæ, qui legibus loci ligantur, & sortiantur forum Parochie, etiam sortiantur forum externum ex actibus alibi gestis; maxime, si verum domicilium procul distet. Nec obstat l. 7. C. de incolis, nam licet domicilium verum incolam faciat quoad munera civilia, tamen quoad actus judiciales sufficit, quod quis sit quasi incola.

**16. R. 3.** Vagi, qui actu nullum domicilium, vel quasi domicilium habent, in eo loco sortiantur forum, in quo reperiantur, & conf. ibi conveniri possunt ex quocunque actu, vel delicto alibi facto, juxta illud Abb. c. fin. h. t. ubi re inventero, ibi re iudicabo: nam hoc & æquitas fundat, & ratio boni publici exigit, alioquin vagi facile subterfugere possent omne iudicium.

**17. Q. III. An quis ratione rei sitæ sortitur forum in alieno territorio, in quo non habitet?** **R.** Affirmative, c. 3. & fin. h. t. l. fin. C. ubi in rem: nam talis possessor secundum quid sit subditi iudici talis territorii, scilicet *secundum rem sitam*, seu constitutum in tali loco, five sit res immobilis, five mobilis, in quo iura non distinguunt; ergo reus ratione rei sitæ conveniri potest in alieno territorio, puta actione reali, non personali, quia illa, & non ista rem sequitur, etsi possessor non reperiat in tali territorio *lib. 25. ff. de O. & A. leg. 19. ff. de jure fisci*, ibi: *quoniam res, non persona convenitur, nisi actio personalis esset in rem scripta, cui etiam locus est in territorio rei sitæ, ut est actio quod metus causa, ad exhibendum, quadrupedaria, l. 9. §. fin. ff. quod met. causi.* 2. In loco rei sitæ institui potest non modo petitorium, sed & possessorium, l. un. C. ubi de possess. & l. un. C. ubi de heredit. tum quia causa proprietatis, & possessionis ita sunt connexæ, ut eidem iudici subiciantur *c. 1. de caus. poss. tum quia interdicta adipsas tendunt, & reinenda, utpote innituntur juri reali, per se realia sunt, aut saltem in rem scripta: interdictum vero unde vi, licet primario sit personale, utpote innitens delicto, attamen per se tendit ad restitutionem possessionis; adeoque propter facilitatem expeditionem litis recte intentatur in loco possessionis. Ex his solvuntur l. 2. C. de interd. l. 1. §. 3. ff. eod. 3. Si res mobilis, non permanenter, sed transeuntur est in loco, non fundat forum rei sitæ, quia proprie non dicitur esse sita in tali loco, nisi ex illo facto fuisset sublata. Si autem possessor de fuga suspectus est, res interim sequestranda erit, donec his finiat, l. 7. §. fin. ff. qui satisd. 4. Si quis rem alieno nomine possideat, ab actore convenitur nominare, seu laudare potest suum auctorem, in quem deinde actio dirigitur; at si nomine suo possideat, non liberat se, laudando auctorem; sed tenetur excipere actionem. Auctor vero laudatus, re evicta, ad interesse convenitur in eodem foro, l. 1. 2. C. ubi in rem. qui casus est specialis, in quo venditor in alieno foro rei sitæ tenetur emptorem defendere, l. 49. ff. de iudic.*

**18. Q. IV. An quis ratione contractus sortitur forum in eo loco, in quo contraxit?** **R.** Affirmative, c. fin. h. t. c. 1. eod. in 6. l. 19. ff. de iud. tum quia hoc modo melius consultur creditoribus; tum quia melius constare potest de ipso contractu, ejusque solemnitatibus. Et hoc procedit etiam de Clericis, qui licet non possint expresse prorogare in se iurisditionem alterius Episcopi *c. 18. h. t.* possunt tamen tacite ex dispositione juris ratione contractus, & delicti *c. 17. eod.* idem de his, qui habent privilegium, ne conveniantur in certo loco, *c. 1. de privil. in 6. & cit. cap. 17.* quia contrahendo, censentur privilegio renuntiasse, nisi privilegium clausum esset in corpore juris, cui, seu juri communit, non censetur per contractum derogari. 2. Reus presens, non vero absens, regulariter conveniri potest in loco contractus, nisi aliter conventum sit, *c. 1. h. t. in 6. l. 19. ff. de iudic.* quia reus cum suo incommodo non tenetur accedere locum contractus, & multo minus illic remittendus est; quia non militat eadem ratio, que pro remissione ad locum delicti, quod ad exemplum aliorum ibi petit puniri, ubi paratum est. 3. Peregrini moram trahentes in loco contractus, ut si conducant tabernam &c. recte ibi conveniuntur, quia tacite se obligant ad solvendum, vel respondendum. At si sint in transitu, & motam non trahant, regulariter hoc tempore peregrinatio-



tienis non sunt conveniendi, nisi aliter conveniant, vel suspicio sit de fuga, vel ea sit loci consuetudo, l. 19. §. proinde, ff. de iudic. ubi ratio additur: quia durissimum foret, quovis loci quis navigans, vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere. 4. Administratores non tantum publici, sed etiam privati, ut tutores, negotiorum, & rerum curatores, etiam absentes conveniri possunt ex quasi contractu in loco administrationis. Ita rubrica, & l. 1. C. de ratiociniis tam publicis, quam privatis agi oporteat, ratio est ex l. fin. eod. quia in loco administrationis instructio sufficiens, & nota testimonia, & verissima possunt documenta prestari. Quae hic dicta sunt de contractu, proportionaliter intelligenda sunt de distractu, cit. l. 19. §. proinde ff. de iudic. ibi: si conductus, ibique distrahit, quia contrarium eadem est ratio.

19. Q. V. Quid iudex possit in rem in loco contrahens conveniri? R. 1. Si reus in loco est, potest illum verbaliter citare, & si contumaciter se abseret, etiam capere, & incarcerare; imo si de iure actoris clare liqueat, non contestata lite, condemnare, cap. final. §. final. ut lite non contest. l. 13. §. 3. Cod. de iudic. 2. Si reus e loco contractus discessit, iudex illum citare poterit sub comminatione mittendi actorem in possessionem bonorum; si tamen bona illa existant alibi, actor illa non occupabit nisi scitu iudicis territorialis cap. 1. §. 3. contrahentes, hoc tit. in 6. At si reus nulla bona habeat, non superest aliud remedium, quam ut actor eum conveniat coram iudice domicili. 3. Reo comparante, preparatoria lites ordinantur secundum stylium fori, in quo sit iudicium; quia ordinatio iudicii sequitur leges tribunalis; at decisoria lites faciendi sunt secundum leges loci, in quo contractum est; quia contractus sequitur solemnitates loci, unde etiam testes, & alia documenta petenda sunt. Excipitur causa dotis, quam mulier petere debet iuxta iura domicili mariti, licet instrumenta dotalia alibi conscripta sint l. 65. ff. de iudic.

20. Q. VI. An delinquens sortiatur forum in loco delicti? R. Affirmative, nisi delinquens sit nobilis, vel miles committens delictum non militare, vel clericus, vel privilegiatus, modo casus delicti non sit expressus in privilegio, cap. 14. & fin. h. t. c. 1. de privil. in 6. l. 1. & aub. qua in provincia, C. ubi de crimin. nam expedit delicta ibi puniri, ubi patata sunt. Quod si clericus commisit delictum dignum privatione beneficii, sententia fertur a iudice delicti, exequutio autem fit a iudice beneficii, puta utrobique ecclesiastico, cap. 14. h. tit. Clerici servanda est constitutio Trid. sess. 13. c. 8. de reform. ubi majora eorum delicta reservantur iudicio Apostolico. 2. Delinquens extra delicti, vel domicili locum regulariter, saltem de iure Canon. scripto, non sortiatur alibi forum, ut in loco, in quo deprehenditur, vel reperitur. Ita Clar. Gomez. Covar. & alii contra Bartol. VVesemb. Schmier &c. nam c. fin. h. t. & cap. 1. de privil. in 6. & alibi nulla fit mentio de forodeprehensionis, aut inveniendi. Similiter in aub. qua in provincia, C. ubi de crimin. nihil statuitur circa forum deprehensionis. Ratio est: nam quia aliud territorium per delictum rei non est offensum: tum quia ratione rei sitae, & contractus, reus non potest praeterire alibi, quam in loco domicili iudicari, ergo. Excipe, nisi consuetudo, vel conventio magistratum aliud habeat; aut reus in loco, in quo deprehenditur, compleat, vel contingerit delictum, sicut hereticus ubicunque est, heresi sua peccat, vel nisi delinquens sit vagus, de quo dicitur: ubi te invenero, ibi te iudicabo. Nec obstat l. 1. Cod. de crim. ibi: vel ubi reperiantur, nam his verbis significatur forum domicili; secus verba ista generaliter accepta restringi debent ad vagos, l. 3. ff. de off. praesid. procedit de hominibus malis, si quid manu commiserint, seu deliquerint in provincia.

21. Q. VII. Quid iuris, si delictum concernat duplex territorium? R. cum distinctione: 1. Ubi quis vulnus lethale infixit, ibi sortiatur forum, etsi vulnereus fugiens in alio territorio decesserit: nam ibi homicidium fit, ubi ponitur causa efficax necis arg. l. 21. §. 2. ff. ad L. Aquil. 2. Si occisus reperitur iacens in confinio duorum territoriorum, & dobitatur, in quo vulnus lethale accepit, reus sortiatur forum in utroque territorio, ita ut inter iudices locus sit preven-

tioni, arg. l. 19. ff. commun. divid. ubi arbor in utroque vicini fundo enata, dicitur pertinere ad utrumque dominum: nam merita delictum ex loco, ubi caput, vel pedes, vel cor facit, vel ubi homicidium fecit, est prorsus incertum. 3. Qui stans in territorio A. v. g. explodendo solum, occidit alterum in territorio B. probabilis sortiatur forum in utroque, l. 1. C. ubi de crim. ubi loquutio est alternativa: quaelibet orationem perfici, ubi commissit, vel inchoata sunt. Econtra qui mandavit homicidium in territorio A. perficiendum in territorio B. regulariter sortiatur forum in loco executionis, licet Farinaccius dicat forum contracti in utroque loco: nam in priori casu unicus est actus explosiois, & homicidii; in hoc autem posteriori casu sunt duo diversi actus, scilicet mandatum, & eius exequutio; solum autem mandatum sine effectu non puniuntur poena ordinaria, v. g. homicidii, nisi in gravissimis delictis lese majestatis, assassinii &c. & tunc mandans, & mandatarius sortiatur forum in utroque loco.

22. Q. VIII. Quid iudex possit in rem ratione delicti conveniri? R. 1. Si reus exiit in loco delicti, potest illum punire poena corporali, vel pecuniaria secundum statuta loci, licet in eo loco, ubi reus habet domicilium, alia poena statuta sit tali delicto, l. 1. C. ubi de crim. c. 14. h. t. nam voluntarie delinquendo, reus, ipso facto se submitit poenae legis territorii taxatae. 2. Si reus fugit, non potest iudex eum persequi in alieno territorio, ex reg. generali, c. fin. de consuet. in 6. & l. fin. ff. de iuris. extra territorium jus dicenti impune non parceret, nisi esset publicus latro, aut grassator per Const. Imperat. §. 22. Augustae editam in 1559. Si autem cum citatione prevenit ante fugam, iterum eum citare, & contra contumacem usque ad sententiam definitivam procedere poterit, decernendo missionem in bona, vel poenam banni, aut excommunicationis, c. 19. h. t. l. 1. C. de requir. reis. nam per citationem factus est subditus illi iudici. At si citationem eum non prevenit, vocare eum potest edictaliter: & quamvis in personam contumacis procedere nequeat, quia per egressum desit esse subditus, potest tamen eum bona adnotare; & si aliter satisfacere nolit, decernere missionem in illa, requirendo iudicem alterius territorii, ut eam admittat. Clem. 2. de senent. & re iudic. c. 1. §. contrahentes h. t. in 6. Remissio delinquentium hodie raro fit ad locum delicti, nisi iudex inferior in tali delicto iudicare nequeat, l. 1. 7. C. de defensor. civis. Potest tamen remissio ista peti per litteras requisitorias, seu precatorias; & si petitioni annuitur, danda sunt litterae reversales, quod remissio haec non fit futura in prejudicium remittentis, & quod iudex requirens in simili idem facturus sit.

§. III.

De foro privilegiato Clericorum.

23. Q. I. An, & quo iure Clerici habeant privilegium fori, quo eximuntur a iurisdictione laicorum? R. ad 1. Affirmative cum catholicis contra heterodoxos, ut patebit ex dicendis. Circa secundum res sunt sententiae. Prima docet hanc exemptionem esse tantum juris positivi humani: ita Covar. Cavall. Molin. &c. Secunda docet esse juris divini initiativae, & originaliter formaliter autem juris humani: ita Lessius, VVielner, Schmalz. quorum sententia parum differt a priori. Tertia docet esse formaliter juris divini, & naturalis saltem in thesi, seu genere, licet determinatio illius quoad particulares circumstantias, & personas dependeat a Vicario Christi: ita Abb. Clar. Engl. Laym. Reiff. & plurimi alii TT. ac Canonista, cum quorum veriori sententia.

24. R. Ad 2. Forum Clericale non solum est juris humani, sed etiam divini, & naturalis. Prob. 1. pars ex iure civ. aub. statimus C. de Episc. & Cler. ubi ex Const. Frederici Imp. haec referuntur: Statimus, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali questione, vel civili trahere ad iudicium seculare presumat &c. & aub. casta C. de SS. Eccl. item Imp. dicit casta, & irrita esse statuta contra immunitatem Ecclesie, ejusque personas. Idem Prob. ex iure Canon. dicit. 96. tere per tot. cap. 8. de iudic. cap. 12. h. tit. & alibi passim.

Prob. 2.

Quamvis Conc. Trid. sess. 23. c. 6. de ref. noluerit Clericum in minoribus seculum, nullum possidentem ecclesiasticum beneficium, gaudere privilegio fori, nisi praeter delationem habitus, & tonsura inseruiat alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi. haec tamen conditio adeo levis visa est Cong. Conc. ut huiusmodi duntaxat defectus non satis sit ad illum spoliandum hoc privilegio; ut constat ex sequentibus responsis ejusdem Cong. relat. a Bened. XIV. lib. XII. de Synod. Diac. c. 6. n. 5. In Senogallien. 23. Jan. 1603. Siera &c. censuit, oratorem, Clericalem habitum, & tonsuram deserentem, quamvis alteri Ecclesiae, quam illi, cui ex mandato Episcopi ad inserviendum adscriptus fuit, inserviat, nihilominus privilegio fori gaudere - & in Neapolitana 1. Februarii 1614. cum eadem Congreg. fuisset consultata - An Clericus in minoribus ordinibus constitutus, Clericalem habitum, & tonsuram detrensus, atque Ecclesiae inserviens, gaudet privilegio fori, si alicui Ecclesiae ab Episcopo adscriptus non sit - respondit: Gaudere.

Est hic notandum cum eod. Bened. l. c. n. 6. Neque (sunt ipsius verba) haec Sac. Cong. responsa alteri adversantur Trid. decreto ejusd. S. 23. c. 16. de quo nos ipsi superius egimus lib. II. c. 2. ubi nimirum vestigiis inhaerens sexti Canonis Concilii Chalcedonensis, neminem in posterum ordinibus iniciandum decrevit, qui illi Ecclesiae, aut pio loco, pro cuius necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribitur, ubi suis fungatur muneribus; simulque sacris interdicendum precepit, qui, inconsulto Episcopo, ab Ecclesia se proripit, cui fuit alligatus: aliud siquidem est, Clericum posse compelli ad inserviendum Ecclesiae ab Episcopo designatae; aliud posse fori privilegio ideo privari, quod non illi, sed alteri Ecclesiae suum servitium impendat. Primum certe, non interdum alterum, ex allegato Tridentini textu consequitur: quin imo ex hoc capere conficitur, sola suspensione a Divinis, aut interdicione ascensus ad Superiores ordines, ejus esse puniendam contumaciam, qui inconsulto Episcopo, ab Ecclesia recedit, cui in sui ordinatione fuit mancipatus; uti in suis suffragiis haec super re diligenter elucubratis concluderunt Carolus de Vechiis, & Prosper Fagnanus, celebres olim Sac. Congreg. Conc. Secretarii, quae extant lib. memoria- lium 52. pag. 16.

Prob. 2. pars quoad jus divinum, ex Gen. 47. v. 22. Lev. ult. v. 28. n. 18. v. 8. ubi Sacerdotes veteris legis leguntur exempti a iurisdictione laicorum; ergo multo magis id concedendum est Sacerdotibus novae legis, cum praecipuum istud non sit inere ceremoniale, sed potius morale tangens directionem bonorum morum, & praecavens irreverentiam in Christum Dominum, & Mat. 27. ubi: Reges terra &c. Christus pronuntiat Petrum esse liberum a solutione tributi, & conf. liberum a iurisdictione laica: Petrus autem representavit totum statum Clericalem: tum quia exemptionem istam a Christo profectam communis quasi traditio, & usus Ecclesiae manifestat; & ideo Imp. Const. in Conc. Nicarno ad Patres dixit: Vos a nemine ad iudicari potestis, quia solus Dei iudicio reservamini, Can. futurum 12. q. 1. Can. continua 11. q. 1. & omnis alii 3. Prob. auctoritate Conciliorum hoc jus divinum asserunt. Sic in Conc. Lat. sub Leone X. Sess. 9. in Bulla ref. dicitur: cum a iure tam divino, quam humano laici potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit; & clarius Trid. sess. 25. c. 29. de ref. dicit: dicitur, & personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonice sanctionibus constitutam esse; quia textus in propria significatione sine ullo absurdo intelligi possunt.

Prob. 3. pars quoad jus naturale, ex quo conclusio saltem mediata, & remota deducitur, dictam exemptionem ostendens: nam Clerici sunt instituti patres, magistri, & iudices omnium fidelium, etiam principum, in summo tribunalis ecclesiastico. Alor. 20. ubi: vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei: sed jus naturale dicit patres, magistros, & iudices summi tribunalis non debere esse subiectos iudicibus tribunalis inferioris, uti est laicum respectu ecclesiastici per Can. 9. d. 96. ubi: nam miserabilis insania est cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, & illum sua potestate subijcere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in caelis ligari posse, & solvi: ergo: tum quia natura dicitur, P. Remigii a S. Erasmo. Pars I.

quod potestas profana non debeat ferri extra suum obiectum, puta extra res, & personas profanas, quod etiam gentiles agnovissent; & ideo, ut Imperator circa sacra, & Sacerdotes praeter aliquid disponere, summa dignitas Pontificis maximi ei conferretur; sed Clerici non sunt res, & personae profanae, sed Deo sacrae, non minus quam altaria, & Ecclesiae, ergo.

Obj. 1. Christus erat subiectus Pilato Jo. in. 19. ibi: non haberes potestatem adversum me & cap. 2. Paulus Act. 25. Caesarem appellavit. 3. Lex Evangelica, & Baptismus non eximunt a potestate laica, ergo nec ordo, seu Clericatus. 4. Nov. 83. Clericos subijcit iudicibus laicis. 5. Clerici, & Ecclesiae olim dabant Imperatoribus tributa, c. tributum 23. q. 8. quod est recognoscere eorum iurisdictionem. 6. Si exemptio Clericorum esset juris divini, & naturalis, non posset a potestate humana immutari, & tolli, cum iura naturalia sint immutabilia §. pen. in. de J. N. G. & C. sed mutari potest, imo tolli respectu Clerici criminosi c. 10. de iud. ergo.

R. Ad 1. potestas ista non fuit juris, sed facti, & permissionis, & ideo Luc. 22. v. 53. vocatur potestas reprobata. Ad 2. Paulus via facti, & necessitate appellavit Caesarem, non ut proprium iudicem, sed ut defensorem innocentiae contra calumnias iudeorum, Sic etiam in primis Ecclesiae seculis saepe recursum similes fiebant ad Imperatorem contra violentiam haereticorum. Ad 3. Neg. conf. nam baptismus non excludit, sed vult esse principatum civilem; Clericatus autem elevatus est supra omnem profanam potestatem n. c. 6. de M. & O. quia in una republ. christiana gradus temporali subiectus est spirituali, Extr. 1. de M. & O. inter com. Ad 4. Jura civilia, utpote extra sphaeram in hoc puncto vagantia, non sunt curanda, sed corrigenda, uti & correctae sunt ab Imperatoribus Ecclesiae devotis. Ad 5. Clerici dabant tributa, & onera realia fundis inhaerentia, & pro necessitatibus boni publici, accedente consensu Episcoporum, multa Imperatoribus contribuebant, quae & hodie faciunt, non iurisdictione Imperatoris, sed Papae. Ad 6. Haec, & similia argumenta plus non probant, nisi exemptionem istam non esse juris divini in hypothese, & determinate pro singulis casibus, & circumstantiis, quo non obstante est ius divini in thesi, & genere. Sic confessio, communicatio, residentia curatorum, vota, juramenta, sunt juris divini; & tamen varie determinantur per potestatem ecclesiasticam. Cetera argumenta ex ratione ducta vide in Bellar. & aliis passim.

25. Q. II. Qui Clerici gaudeant foro Clericali? R. Omnes specialiter non excepti; nam iura generaliter personas ecclesiasticas eximunt a iurisdictione laicorum. Et quidem privilegio hoc gaudent. 1. Clerici primo tonsurati, & minoritate, modo habeant beneficium ecclesiasticum; vel si illud non habeant, debent deferre habitum, & tonsuram clericalem, & alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inservire, vel in seminario clericorum, aut scholis de licentia Episcopi versari. Ita has conditiones requirit Trid. sess. 23. c. 6. de ref. Clerici autem conjugati monogami, habitum clericalem, & tonsuram deserentes, & ex deputatione Episcopi alicui Ecclesiae servientes, gaudent hoc privilegio fori in criminalibus criminaliter, vel civiliter intentatis, non vero in causis civilibus, Trid. ibidem renovando constit. c. un. de Cler. conjug. in 6. 2. Regulares utriusque sexus Can. 38. de persona 11. q. 1. uti & novitii, tertiatii conventualiter viventes, & eremitae Religionem approbatam professi, vel saltem auctoritate Episcopi ad servitium Ecclesiae deputati, modo habitum gestent: item rectores hospitalium auctoritate Episcopi erectorum, modo in eis residentium, Barbof. nam hi omnes in favorabilibus veniunt nomine personarum ecclesiasticarum. 3. Servi Ecclesiae, aut Clericorum, cum sequantur forum domini sui, Can. 69. Ecclesiarum 12. q. 2. & arg. l. 6. in fin. ff. ad municip. non tamen probabilibus famuli conductitii, & familiares, excepta familia Episcopi per c. fin. v. perit de off. Archid.

Ad si vero de familia, seu familiares Episcopi ex Const. Bened. XIV. Alias 24. Jan. 1744. §. 9. dicendi sunt, qui de iure, & iuxta consuetudinem loci cuiuslibet habitus pro familiaribus, & officialibus habitii, & deputati sunt, ac haberi, & deputari solent. Qui itidem gaudent privilegio fori pro crimine homicidii ex Constitut. Clemem. XII. In supremo pro



pro ditione Ecclesie Romane, extensa a Bened. XIV. cit. Conf. Alias ad loca Republica Lucane, in pertinentibus ad immunitatem localem & personalem. Quod tamen privilegium non suffragatur ceteris privilegiis, ut dicam lib. III. tit. 49.

Neque liberi, aut uxores legitime, cum hoc privilegium personale sine claro textu non sit ad alios extendendum. Re. 2. Privilegio fori non gaudent minoritate, conditiones Triad. cit. non servant. Constitui autem in majoribus privantur illo. I. Degradati, & Curia seculari traditi, c. 10. de iudic. c. 2. de panis in 6. II. Qui ter ab Episcopo, vel semel in synodo moniti non deserunt habitum, & tonsuram, quia sic probant se incorrigibiles, c. 25. 45. de sent. excom. III. Reus assilipi post sententiam declarationem criminis, c. 1. de homie. in 6. cum declaratione Clem. VIII. an. 1595. 18. Decemb.

Ex Conf. Clem. XII. In supremo pro urbe, & reliquo statu Ecclesiastico 1. Febr. 1735. extensa ab eodem ad Regna Hispaniarum Confir. Alias nos, & ad Republicam Genensem, Corsicam, & Insulam Capriam Confir. pariter Alias nos, ac Bened. XIV. ad Rempubl. Lucanam Confir. Alias scilicet rec. 24. Jan. 1744. non gaudem hoc privilegio. 1. Privilegiati, vulgo parentati, rei homicidii (exceptis officialibus, aliisque privilegiatis a Cong. univ. Inquisitionis, ac ministris actu inferuentibus locorum Ordinariis, eorumque Curis, qui si Clerici sint, subiecti debent Ecclesiastica jurisdictioni, si laici, seculari) 2. Clerici tonsurati, non beneficiati rei duorum homicidiorum animo delibato, & premeditato parvorum, qui seculari potestate subjectionati sunt, ut laici, etiam si servaverint conditiones a Triad. prescriptas. 3. Clerici in minoribus non beneficiati, & non servant distas Triad. conditiones, tam celibates, quam conjugati, rei pariter homicidii: & sic privant eisdem fori privilegio frui non possunt, neque habitum Clericalem reassumere, etiam post totaliter expiatis homicidii panam. Declarationem autem an ante paratum homicidium Triad. requisita servaverint, statim spectare ad Ordinarios, non retardata interim asseruacione eorumdem, faciendam etiam per iudicem laicum nomine Ecclesie, qui illos pariter Ecclesia nomine ad illius dispositionem retinere possit, ac debeat, donec dista declaratio prodierit.

IV. Qui, dimisso habitu, immittent se enormitatis criminum, & post triam Episcopi monitionem non respiciunt, Covar. Ceteri casus de Clericis jocularibus, & officium macelliariorum, aut tabernariorum personaliter exercentibus, referuntur c. un. de vit. & hon. in 6. Clem. 1. sed. Præter hos casus Clerici non subsunt jurisdictioni, & iudicio seculari, etiam delinquant in officio seculari Principis, vel saltem testimonium dicant in iudicio seculari, vel rei sui criminis lesæ majestatis, quia per c. 4. 10. de iudic. laicus omnino est incapax eos iudicandi. Possit tamen Clericus inter perdettes pugnant in actuali pugna occidi; quia hoc fiet via defensionis, quam jus naturale concedit.

26. Q. III. In quibus causis Clerici gaudeant privilegio fori? De causis criminalibus, & personalibus certum est: de rebus negant Gothofr. Mynsing. Gail, & plures Legiste, contra quos R. Clerici gaudent privilegio fori etiam in causis rebus; ita com. Canonice & T. T. Prob. ex cit. auth. statumimus C. de Episc. & Cler. ibi: in criminali questione, vel civili, & c. 12. h. t. Innoc. III. docet Clericos in criminali, seu in civili negotio nec invitos, nec voluntarios subire posse secularia iudicia. Que, & similia iura non distinguunt inter causam personalem, & realem, ergo: tum quia res, & bona, tanquam accessoria, sequuntur conditionem persone Ecclesiasticæ per l. que Religiosi ad rem. Religiosi sunt 43. ff. de R. P. ergo Clerici etiam quoad bona sua patrimonialia, vel quasi patrimonialia exempti sunt a Curia seculari: Huc etiam facit arg. a reb. militis, l. 6. C. de iuris. omni. iud. l. h. C. de ager. in reb. & arg. a c. fin. de iud. & arg. a causa feudali excepta ad aliam non exceptam c. 6. 7. h. t. An autem consuetudo in contrarium sit rationalis, dubitatur: multi dicunt esse corruptelam adversam Bullæ exæm; alii tamen eam echequent, tum ex tacito consensu Papæ, tum ex iure advocatiæ, & reservationis, quatenus Principes dotando Ecclesias, cum consensu Papæ reservant sibi jus exercendi jurisdictionem in bona Ecclesiæ, & Clericis donata. Vide P. Pichler hic a

num. 24. Dices: in actione reali non persona, sed res convenitur, l. 19. ff. de iure sse. & Clericus possessor non tam reus, quam defensor est; is autem privilegio fori non juratur, l. 49. ff. de iudic. ergo non est contra dignitatem Clericalem actione reali coram laico conveniri. R. non respondeo, sed ut relata ad Clericum possessorem convenitur, & tota jurisdictione in eum exercitur citando &c. hoc modo autem jurisdictione a laico in Clericum exerceri iura non admittunt.

Ex conf. Bened. XIV. Militantibus 30. Mart. 1742. iudices competentes in sequentibus causis sunt. 1. Locorum Ordinarii tanquam Sed. Apost. delegati in causis civilibus necedum, & miserabilium personarum quoad Clericos seculares, aut regulares extra monasterium degentes quomodolibet exemptos; etiam si habeant certum iudicem in paribus; sicut & in aliis causis, si dictum iudicem non habuerint. 2. In causis omnibus tam civilibus, quam criminalibus spectantibus ad forum Ecclesiasticum respectu non exemptorum in prima instantia (exceptis privilegiatis a Triad. vel alias ab Apostolicis sanctionibus). 3. Ex conf. eisdem Pontif. Romanæ 21. Dec. 1745. pro statu Ecclesiastico ubi Vicarius est iudex competens in causis vere laicis, etiam spectantibus ad Curiam capitularem per prorogationem partium, & de eorum consensu in actis expressè prefato; nisi agatur de executione obligationis cameralis. 4. In causis matrimonialibus, & in beneficio-rum institutionibus privative quoad alios in urbe, & districtu, si nulli alii ordinario jurisdictione in dictis locis competat. 5. In causis contra Clericos non exemptos cumulative cum solo Camera Apost. Audite. 6. In interpositione decretorum privative quoad quoscumque alios iudices Romana Curia, in renuntiationibus, aliisque quibuscumque contractualibus Regularium utriusque sexus degentium tempore probationis in curiabilibus, & monasteriis urbis, aut districtibus. 7. In prima instantia quoad causas ad ipsum Vicarium spectantes ratione originis, vel beneficii contra Clericos Romanos commorantes in diocesis, & territoris intra orbis districtum; comprehensis etiam sex Episcopibus S. R. E. Cardinalium; ibique mandata se expediant, tam realiter, quam personaliter exequi possit. 8. Auditor Camera Romana extra orbis districtum non potest esse iudex competens in causis summe recurribilibus, idest, non attingentis valore seuorum centum; sed subdelegandus est alius iudex in paribus; in quibus pronuntiarum sui primam iudicatum, quatenus sit cum clausula (Quidem sub pena nullitatis delegationis) - ad effectum cognoscendi de gravamine pro admissione, vel denegatione recursus per alia eisdem notarii, & sine solutione propine, & regestri; & quatenus partes in eo non consenserint, ad effectum deponendi alium iudicem in sui locum, cum istam facultatem de consensu ipsarum partium, sui minus ex officio.

Reliqua in hac eadem conf. disposita respiciunt tribunalia urbis, circa que vide additionem ad titul. XXXII. de officio iudicis post n. 3.

26. Q. IV. In quibus casibus jus permittat Clericum stare in iudicio seculari, vel cum capi a iudice laico? R. ad 1. in casibus seq. 1. In causa feudali c. 6. 7. h. t. 2. Si Clericus ut actor conveniat laicum, quia tunc sequi debet forum rei. 3. In casu evictionis, dum emptor laicus laudat auctorem, seu venditorem Clericum. 4. Si Clericus conveniatur nomine alieno, ut procuratorio, tutorio &c. quia tunc sequitur forum sui principalis; uti etiam si esset hæres defuncti, cum quo lis capta est: nam ubi acceptum est iudicium, ibi & finem accipere debet, l. 3. ff. de iud. 5. Si bona immobilia data sunt Ecclesie, aut Clericis cum pacto, & conditione, ut sub priori foro maneat; hæc enim conditio, cum iusta sit, neque reprobetur a Sac. Canonibus, servanda erit. R. ad 2. iudex laicus ex permissione, & consensu Ecclesie potest Clericum in certis casibus capere, & incarceratione, non ut ille ipsum iudicet, aut puniat, sed ut eum tradat iudici Ecclesiastico. Quod tunc procedit, dum subdito haberi nequit potestas Ecclesiastica, & alias periculum est in mora; ut si Clericus velit sibi, aut aliis grave damnum inferre, si deprehendatur in flagranti crimine, si arma gestet loco, & tempore vitio, si in fraudem creditoris abutitur: denique si molitur quodcumque grave malum, cui licet, & nunc aliter mederi non potest nisi

per captivam Clerici: nam in his, & similibus casibus iudex laicus non tam iurisdictionis, quam defensionis procedit. In illo casu, quo quis commisit delictum in Clericatu, vel novitatu religioso, & postea defuit Clericatum, vel monachatum, est a iudice Ecclesiastico citacione non sit preventus, tamen ab eo iudicandum est, & non a laico; nam pro usu privilegii attenditur tempus delicti, quo paratum est, l. 1. C. de panis.

Circa forum competens in causis damni dati ab animalibus in statu Pontificio ad forum laicale pertinentibus, si damnum sit simplex ex conf. Bened. XIV. Invenit 25. Jan. 1751. he cognoscenda sunt in prima instantia a magistratu loci, si ex statuto, vel consuetudine hoc jus ei competat. Si vero sit aut studiosum, idest ex culpa, & negligentia custodum, aut manuale, cognoscenda sunt a solo loci Governatore.

Pro damno dato a laico in bonis laicalibus cum animalibus Ecclesiasticum si solus eorum custos laicus querelatus, arrestatus, aut oppignoratus fuerit, cause cognitio spectat ad forum laicale: si vero oppignorata fuerint animalia, ad forum Ecclesiasticum; si oppignorata fuerint tam animalia, quam custos laici, est in arbitrio damnificati forum eligere, absque facultate querendi: ita tamen, ut si eligat forum laicale, iudex laicus statim relaxare debeat animalia Ecclesiasticorum sine ulla expensa tam pro decreto, quam pro mandato relaxationis: si vero eligat forum Ecclesiasticum, iudex Ecclesiasticus relaxare debeat custodem tanquam sine ulla pariter expensa.

Nullus iudex tam laicus, quam Ecclesiasticus procedere potest in his causis, nisi intra priores octo dies denunciatum fuerit damnum; casusque terminari debent intra quadraginta dies, alias devolvuntur ad iudicem superiorem ex capite denegate iustitiæ. Probatio autem, & liquidatio damnorum, ac penarum impostarum sunt iuxta statuta, & consuetudines locorum in iure quo erit.

Libero erit damnum passis in captura animalium huiusmodi damnum inferentium, aut omnia, aut partem illorum capere, siue a custode pignus recipere, licet animalia sint Ecclesiasticorum, dammodo illorum captura, vel pignus factum fuerit antequam auferant, aut custos exierint a fundo damnificato. Data autem satisfactione pro solutione tam damni, quam panæ, relaxanda erunt a quocumque iudice animalia, pignora, & multo magis custos.

Pæne exigenda, siue iudex sit Ecclesiasticus, siue laicus, siue in prima, siue in ulteriori instantia, integre solvenda sunt communitati, aut illarum locatarum, sublata cuique facultate earum condonandi, vel immutandi, licet sint Cardinales, Legati, Vicelegati, Provinciarum Præsides, Episcopi, ac Archiepiscopi, quatenus communitatis consensus accedat, sub pena sequestrationis quinque annorum in favorem communitatis, vel locatarum ipsi facto, & etiam pro prima conventionione incurrenda, tributa facultate magistratum loci respectu gubernatoris contrascentis eadem senna quinque annorum subrahenda a mensura prestatione ei solvi solita: respectu vero iudicis Ecclesiastici, recurrendi ad Sac. Congreg. boni regimini.

Iudicium autem, ministris, & executoribus post compensationem damni factam parvi lese, & post effectivam solutionem penarum, condita sunt tantum emolumenta pro decreto, & executione iuxta taxam servari solitam in causis civilibus.

Appellatio a sententia de damno dato deferenda est ad quos pertinet alia causa criminalis in ulterioribus instantiis, servata taxa quoad sportulas, & emolumenta iudicis debita, ut in causis civilibus, sublata facultate Cong. Consilia se in his causis ingerendi tam in prima, quam in ulteriori instantia, etiam de consensu partium, excepto casu, in quo damnum datum eius sit qualitati, & intransit ad alia delictum, cui iuxta generalia bandimenta imposta sit pena trivernium, aut capitis.

Ad Cong. autem boni regimini spectabit bonum omnium executio, etiam interdicta facultate se in particularibus causis ingerendi.

28. Q. V. An Clericos renuntiare possit privilegio fori Ecclesiastico? R. Negative ex clata decisione c. 12. h. t. nam hoc privilegium est juris publici, & toti P. Remigii a S. E. anno. Pars I.

collegio Ecclesiastico putlice indultum, cui proinde privatus derogare non potest, l. 38. ff. de pati. Secus si Clericus est actor trahens alterum Clericum ad iudicium seculare, causam civilem perdit, & excommunicatur, donec satisfaciatur reo, & Ecclesia pro iniuria facta. Si vero Clericus reum coram laico respondeat, vel se purget, perdit causam civilem, vel deponi debet: in causa vero criminali respondens, amittit locum suum, deponitur ab officio, & beneficio, non quidem ipso iure, sed post sententiam iudicis Ecclesiastici. De degradatione, & aliis penis Clericorum agetur lib. V. tit. 37. de penis.

§. IV.

De foro privilegiato miserabilium personarum, & studiosorum.

Nomine miserabilis persone veniunt hic pupilli, vidua honeste viventes, uxores habentes maritum inuitum, ut captivum, exilium, virgines patre carentes, senes decrepiti, & omnes illi, qui non ob luxum, aut crimen proprium, sed ob fortuna injuriam naturali commiseratione digni sunt, l. un. C. quando Imp.

29. Q. I. Quale privilegium circa forum habeant persona miserabilis? R. 1. Extra Provinciam suam non possunt trahi ad comitatum, hoc est, ad curiam Imperatoris; alios vero immediate in prima instantia convenire possunt coram Imperatore, presertim si in tribunali inferiori timeant oppressionem: ita de iure civili cit. l. un. C. quando Imp. 2. In casu spoliacionis, omnibus iudicibus intermediis, spoliatorem suum interdicto unde vi convenire possunt coram Episcopo, seu iudice Ecclesiastico, etiam iudex laicus eius iustitiam administrare vellet: ita de iure com. c. 15. h. t. quia defensor miserabilium personarum per vim spoliatorum cumulative spectat ad iudices Ecclesiasticos, tanquam patres pauperum. In aliis autem causis civilibus adire debent iudicem secularem, & in huius defectu, iustitiam administrare nollent, Ecclesiasticum, c. 10. 11. h. t. His tamen privilegiis persona miserabilis non utitur contra æque miserabilem, nisi forsan eo, quod jus Canonium concedit, quia spoliatis, & non spoliatis concessum est.

30. Q. II. Quale privilegium fori habeant studiosi? R. Illud speciale, ut conveniri non possint, nisi coram domino, vel magistro suo, hoc est, rectore scholarum, seu magistratu Academico, vel ipsius Civitatis Episcopo; licet consuetudo hodie obtineat, ut conveniantur tantum in foro Academico coram rectoribus suis. Ita com. cessit Fredericus I. Barbarossa, seu Abenobardus in comitiis apud Roncalias, seu in campis ad Padum non procul Placentia, an. 1158. edita constitutione imperiali, cuius fragmentum relatum est in his civile Auth. habita C. ne filius pro patre. Ratio huius privilegii duplex assignatur: prima, quia scientia scholarum, & maxime professorum totus illuminatur orbis, & ad obediendum Deo, & hominibus vita subditorum informatur; altera, quia studiosi amore scientiarum patriam deserunt, & alibi quasi exules vivunt; adeoque hoc favore sunt dignissimi.

31. Q. III. Ad quas causas se extendat privilegium fori scholarum? R. Ad causas civiles, & criminales non tantum minores, sed & majores; adeoque vi huius privilegii Academiis competit imperium meum, seu jus gladii: ita com. DD. Germani, licet Baldus, Cujac, de Castro, Vultej, & plures alii dicant rectori scholarum non competere jurisdictionem in criminalibus maioribus, nisi aliunde ex speciali privilegio acquisita sit. Prob. ex verbis cit. auth. ibi: Hac igitur generali, & in perpetuum valitura lege decernimus, ut nullus de cetero tam audax inveniantur, qui aliquam scholaribus injuriam inferre presumat, nec ab alterius cuiuscumque Provincie delictum, siue debitum, aliquod damnum eis inferat &c. quo textu exprimitur utraque causa civilis, & criminalis. Ratio est, quia licet in cit. auth. non exprimat imperium meum, tamen tacite inest in verbis generalibus, que hic non sunt restringenda: tum quia jurisdictione ordinaria illimitate concessa, censetur concessum imperium meum l. 7. 8. ff. de off. proc. tum quia hoc privilegium, tanquam casare pictatis beneficium, latissime interpretandum est l. 3. ff. de confir. ergo. Nec obstat, quod celeberrime



mae Academiae Bononiensis, & Parisiensis non gaudeant imperio mero: nam Papa, & Rex Galliae non ligantur constitutione Fridericiana. Ceterum non est dubium, quin Imperator privilegium istud tollere, aut restringere possit; adeoque si quid de novo ordinet, illud utique observandum erit.

32. Q. IV. *Quae scholae gaudeant privilegio Friderici?* R. Omnes scholae publicae, & communes omnibus, in quibus litterarum exercetur studia, five sint universitates majores complete omnibus facultatibus, five incomplete, five minora gymnasia publica ad recipiendos, & docendos scholares erecta: nam constitutio Friderici non restringitur ad universitates completas, imo nec mentionem universitatum facit, sed generaliter loquitur de scholis, & scholaribus. Unde cum Religio nostra ex sine suo intrinseco instituta sit ad publicas scholas docendas, & quidem incipiendo ab al-phabero usque ad apicem cujuscumque facultatis al-tionis a Clericis tradi solite, ut ex Constit. novissima Clem. XII. Nohis 1731. Kal. Maji, non est dubium, privilegium hoc Scholis competere.

33. Q. V. *Qui gaudeant privilegio fori Academicum?* R. 1. Maxime professores, tum scholares catalogo inscripti, seu immatriculati, nisi per accidens omnia fuisset inscriptio: item illorum filii, servi, uxores, & viduae, quae sequuntur forum mariti, donec alteri nubant l. fin. C. de incolis l. 3. C. de priv. scholar. item notarii, pedelli, & nuntii Academicum; non tamen typographi, bibliopegi, & similes, qui per se nec scholae, nec scholaribus adhaerent. 2. Studiosi in patria sua studentes, quia de his verificatur saltem una causa, quod eorum scientia orbis illuminetur. 3. Scholares alibi delinquentes, qui petere possunt remissionem ad forum Academicum ex verbis *auth. ibi: ob alterius culpaeque Provincia delictum*, nisi alibi consuetudo sustulerit istam remissionem. 4. Studiosi cessatores, seu vagatores, quamdiu scholaribus accensentur, gaudent hoc privilegio, nisi per rectorem illo priventur, & excludantur a scholis. 5. Clerici studiosi de jure communi conveniendi sunt tantum coram Episcopo: at de consuetudine in causis civilibus levioribus solent conveniri coram rectore scholarum, non tam via stricti iudicii, quam potius amicitabilis compositionis, cum Fridericus Imper. sua constitutio non potuerit derogare juri Canon. & foro Clericali. Is autem, coram quo in scholis convenitur Clericus, debet esse persona Ecclesiastica; siquidem laicus est incapax jurisdictionis exercendae in Clericos. 6. Privilegium fori scholasticum amittitur discessu a scholis animo non redituri; de quo si non constet, videtur sufficere quinquennium, ex quo tempore praesumitur scholaris abesse animo non revertendi. Baldus, Friderich. & alii. Item delicto; cui exstantis scholarum annexa est privato fori Academicum. Ceterum privilegium hoc non habet locum, si extra civitatem, in qua scholae sunt, alibi propria negotia componenda veniant; ut praxis com. docet, Vultej. & alii.

34. His foris privilegiatis additur *forum militare*, vi cuius milites juramento militiae adscripti civiliter, & criminaliter conveniuntur coram iudice militari, seu colonello suo l. 6. C. de jurisd. omn. jud. l. 7. ff. de jud. Item *forum nobilitatis* immediate Rom. Imperio subditorum, qui conveniri nequeunt, nisi in camera imperii, olim Spire, nunc Vveclarie sita, vel in iudicio aulico imperiali Vienna; cum nobiles isti aliam superiorem iudicem non recognoscant. Tales sunt in 1. classe Electores, & Principes Imperii, in 2. classe Praelati, comites, barones, & alii nobiles immediati, in 3. classe civitates imperiales immediate imperio subiectae. Quia vero ab his supremis tribunalibus non datur appellatio, ne his nobilibus oppressis remedium contra gravamina decisset, unanimes Imperatoris, & proceum consensu concessa est illis prima instantia coram iudicibus, qui vocantur Austregg, & iudicium Austreggatum *Ord. cam. p. 2. tit. 2. & 3.* quod tamen iudicium subire non permittitur civitatibus imperii *Ord. cam. p. 3. tit. 27.* nisi ex speciali privilegio, quod pro foro Austreggatum dicitur habere Argentina, Eslinga, Ratisbona, Norimberga &c.

S. V.

De foro communi Curiae Romanae, & jure revocandi domum.

35. Certum est, quod olim omnes cives Romani conveniri poterint immediate in Curia Romana Imperatorum, quae per l. 33. ff. ad municip. Roma communitas nostra patria est. Hodie tamen ex generali consuetudine, quia iudicibus inferioribus relicta est prima instantia, laici immediate conveniri nequeunt in Curia, seu camera imperiali.

36. Q. I. *An Clerici, & laici in causis spiritualibus hodie conveniri possint immediate in Curia Apostolica Roma, vel alibi, ubi Papa residet, constituitur?* R. Affirmative ex c. 1. h. r. tum quia Roma, in qua patet omnium residet, adhuc hodie est communis patria Clericorum, & laicorum in causis spiritualibus; tum quia Curia Apostolica habet concurrentem jurisdictionem cum omnibus diocesis Ecclesiasticis, & Papa est ordinarius iudex omnium fidelium *Can. 17. & fin. q. 3. ergo.* Nec obstat *Triad. sess. 24. c. 20. de ref. laicis*, ut causa in prima instantia coram Ordinariis locorum cognoscantur: nam nomine ordinarii non minus venit Papa, quam ordinarius delicti, contractus, & rei sitae.

37. Q. II. *Quid sit jus revocandi domum?* R. Est privilegium concessum illi, qui ex causa necessaria venit Romam, vel ad locum alium, ne cogatur ibi respondere super antea gestis, alioquin conventus excipere poterit dicendo: *Domine non veni ad hoc paratus, remitte me domum, & deliberabo.* Abb. Fagn. &c. Inter causas necessarias numeratur legatio, appellatio, visitatio ex causa religionis, v. g. ad lucrandum indulgentias &c. Venire autem Romam solati, aut recreationis causa, est causa solum voluntaria. Porro hoc jus revocandi dicitur a jure declinandi forum, quia conventus in hoc, & non illo agnoscit iudicem incompetentem. *Avvocato cause* pariter est diversa a jure revocandi: nam per avocationem lis pendens a iudice inferiori transferatur ad superiorem citra ullam appellationem, in eo statu, in quo fuit apud iudicem inferiorem; quo modo Papa solet quandoque causas a se avocare, vel Episcopus a Vicario generali: facta autem avocatione causa, statim suspenditur iudicium iudicis inferioris; alioquin procedens in causa, nihil agit *cap. 56. de appell.*

TITULUS III.

De libelli oblatione.

Agitur de hac materia d. 84. *Can. Maximianus & 2. q. 8. & tit. ff. & C. de edendo.*

1. Nota 1. In iudicio triplicem esse editionem: *actionum, instrumentorum, & rationum.* Hic autem agitur de editione actionum, quae in libello conscribi, & iudici offerri solent. Porro libellus est scriptura brevis, ordinata, & clara continens intentionem actoris. In causa civili dicitur *civilis*, seu *conventionalis*; in criminali vero, *criminalis*, seu *querimonialis*. Libellus ex modo compositionis est duplex: *simplex*, seu *summarius*, in quo summam, & plane causa proponitur. *Articulatus*, seu *positionalis*, in quo merita causa suse per articulos proponuntur. Ex his ille approbatur, ille vero rejicitur in R. Imper. an. 1654.

2. Nota 2. Libellum constare tribus partibus: *narratione facti, medio concludendi, & ipsa conclusione.* In narratione exprimitur nomen commune iudicis, nomen proprium actoris, & rei; tum referitur ipsum factum cum necessariis circumstantiis; & in causa civili exprimitur quid, quale, & quantum petatur: in criminali vero additur delicti locus, annus, mensis, dies, imo & hora. *Meliorum concludendi* est causa, ex qua petitur: & quidem in actione reali exprimitur causa proxima, scil. dominium; vel aliud jus in re, non vero causa remota, ex qua dominium questum est: e contra in actione personali exprimitur causa remota contractus, aut delicti; neque sufficit proxima, scil. obligatio. *Conclusio* est petitio actoris, qua requirit iudicem, quid, quale, & quantum a reo sibi petendum adjudicet. Addi solet clausula salutaris: *Super his omnibus*

omnibus peto mihi jus administrari omnimeliori modo, quo fieri potest. Item adii solent clausulae; *salvo jure addendi, minuendi, corrigendi, vel salvo jure super-anorum.* Sed haec non sunt necessariae; quia libellus emendari potest etiam post litem contestatam.

3. Q. I. *An oblatio libelli sit de substantia iudicii plenarii?* R. Affirmative ex c. 1. h. r. nam utroque jure praescribitur; ut etiam patet ex l. 1. ff. de edendo, nisi causa agatur coram Principe, qui non ligatur his solemnitatibus, vel sit notoria, vel iudex procedat ex officio nobili per inquisitionem; quia tunc libellus suppletur per ipsum officium iudicis &c. At in iudicio summario petitio potest oretenus proponi *Clem. 2. de P. S.* Licet jure veteri, quo vigeant scrupulose formae actionum, necesse fuerit in libello exprimere nomen actionis; hodie tamen his formulis sublati; libellus subsistit, etsi nomen actionis non edatur c. 6. de iudic. cui consonat l. 3. C. ad SC. Maced. l. 6. ff. de R. C. l. 69. ff. de fidej. & mandat. ibi: *non titulos actionis, sed debiti causa respicienda est*: nam ex contextu rei narratae, & causa petendi sufficienter colligitur actio.

4. Q. II. *An in eodem libello cumulari possint plures actiones sibi non contrariae?* R. Affirmative ex l. 11. ff. de jurisd. nam cumulatio actionum est favorabilis bono publico ad lites abbreviandas. Unde simul proponi potest petitiorum, & possessorium, actio injuriarum, & L. Aquiliae, actio criminalis principaliter, & civilis incidenter, actio empti, & mutui; & probabiliter etiam vindicatio cum publiciana, de quo vide *disputat. meae juridicis disp. 18. controv. 3.* Reus autem sigillatim respondere debet istis actionibus: & si una plene probata est, terminari potest per sententiam definitivam, ceteris ulteriori discussioni relicta. Nec obstat l. 47. ff. famil. heredis. nam tunc sententia est individua, dum una causa in libello proponitur. At contrariae actiones, quae se non comparantur, non possunt in eodem libello cumulari; alias actor duo contraria peteret. Tales sunt, v. g. petitio hereditatis ex testamento, & ab intestato, querela inofficiorum, & actio ad supplementum &c.

5. Q. III. *Quis libellus sit vitiosus?* R. 1. Vitiosus accidentaliter dicitur ille, qui laborat aliquo defectu sufficiente circumstantibus petitionibus; ut est libellus *contraria continens, obfuscus* in verbis generalibus, nisi ipsa causa generalitatem secum afferat; ut in iudicio rubeae, negotiorum gestorum, expensarum &c. *alternativus*, quia parit incertitudinem l. 7. ff. de injur. exceptis quibusdam casibus, in quibus ipsum jus, vel causa alternationem inducit; ut in l. 2. rem. C. de rescind. vend. ubi venditor petit, vel rem emptam restitui, vel partem iusti pretii suppleri, & l. 16. ff. de pignor. ubi creditor actione hypothecaria petit vel sibi solvi, vel rem hypothecatum tradi; item in casu mortis, si res deterior facta est, haec peti potest, vel eliminatio; & quoties incertitudo provenit ex facto alieno praesertim ad veritatem, l. 1. §. 4. ff. quod legat.

6. R. 2. Libellus substantialiter vitiosus, seu *omni-no ineptus* est, ex quo jus agendi non concluditur; adeoque inficit defectus ipsam substantiam petitionis, ita ut iudex citra nullitatem non possit ex illo ferre sententiam: ita rubr. & textus c. 15. de iud. quia sententia debet esse conformis libello c. 31. de Simon. Ceterum si verba libelli explicari possint, explicanda sunt per libellantem (non tamen per eum procuratorem, aut heredem (ut libellus potius subsistat, quam pereat; alioquin libellus ineptus rejiciendus, & actor condemnandus est reo in expensis, si quas fecit.

7. Q. IV. *An, & quando libellus emendari, aut mutari possit?* R. 1. Usque ad sententiam definitivam potest emendari, hoc est, corrigi declarando, minuendo, augendo; salva tamen substantia petitionis, quoad rem petitam, & causam petendi: com. l. 3. C. de edendo l. 21. §. 1. ff. qui testam. fac. nam cum facile iterare in accidentalibus, recte jura permittunt eorum correctionem usque ad sententiam definitivam.

8. R. 2. Libellus autem litem contestatam potest mutari, hoc est, corrigi quoad substantiam petitionis, ita ut varietur res petita, & causa petendi: nam ante litem contestatam necium fidei iudicium inceptum.

9. R. 3. Libellus post litem contestatam probabilis non potest mutari: ita Schmier cum cit. Komig, Laym. Schmalz. Pichl. & multi alii contra Bachov. Brunem. P. Remigii a S. Erasmo, Pars I.

Alciat. Menoch. Gonz. cum cit. in c. 15. de iudic. a n. 3. ubi docet actionem semper mutari posse usque ad definitivam, licet in c. fin. h. r. n. 2. dicat actionem libello comprehensam emendare licere, non autem mutare quoad substantiam res petita, aut causae petendi. Prob. ex *Auth. C. quomodo, & quando iud. qui semel actionem proponit, necesse habet usque ad finem litem exercere*; ergo actionem litem contestatione ceptam tenetur actor prosequi, & cons. mutare illam non potest, tum quia litem contestatione quasi contrahitur, ut alteri parti recedere, vel paenitere non liceat. 25. ff. de R. P. l. 4. C. de jurisd. om. jud. & clare Ulp. l. 52. pr. ff. de iudic. tum denique, quia mutationes libelli valde essent praedictiose reo; lites ex libitibus suscitarentur, & iudicia fieri deberent super actionibus, super quibus lis non fuit contestata. Unde bene ait Paulus l. 2. ff. de iud. non potest videri in iudicium veniens, quod post iudicium acceptum accessisset; ideoque alia interpellatione opus est, id est, alio libello. Unde si actor, priori actione omnia, aliam vult intentare, reus reo expensis, novum libellum formare debet. Excipit, nisi ob qualitatem causae jus permittat transitum ab una actione ad aliam, sicut a petitorio ad possessorium, & e contra, quo sensu procedit, l. 12. in fin. ff. de acq. poss. l. 18. §. fin. ff. de v. arm. c. 5. de caus. poss. l. 4. §. fin. ff. de noxal. act. l. 84. §. 5. ff. de legat. 1. Alia jura procedunt vel de mutatione accidentaliter, seu emendatione libelli, vel restringenda sunt ad iudicium quasi ceptum aut litem contestatam, ut l. 3. C. de edendo, §. 35. *inst. de action. &c.*

10. Q. V. *Qui sint effectus libelli?* R. Hi praecipui: 1. Libellus reo delatus obligat actorem ad prosecutionem causae, & contra illum probat. *Auth. qui semel, C. quomodo, & quando.* 2. Obligat quoque iudicem ad ferendam sententiam conformem eidem libello quoad rem petitam, causam petendi, & actionem institutam, c. 31. de Simon. l. 18. ff. com. divid. 3. Interrumpit praescriptionem, de qua infra sit. de praescri.

§.

De in jus vocando.

11. Quamvis in jure Can. saepe mentio fiat citationis judicialis, tamen nullus specialis titulus de illa extat, adeoque ex jure civili supplendus erit. Est autem citatio actus legitimus, quo quis mandato iudicis, juris experiendi causa vocatur in iudicium. Ita com. ex l. 1. ff. ne in jus vocando. Citatio dividitur 1. in *citationem juris*, dum lex ipsa intra certum terminum vocat, sicut c. 1. de elect. in 6. citatur impugnatores electionis, & *citationem hominis*, dum iudex citat vel generaliter, vel specialiter, seu personaliter. 2. In *verbalem*, quae fit scripto, vel oretenus, & *realem*, quae fit per capturam, seu apprehensionem rei ob delictum, res alienum, vel aliam justam causam. Verbalis subdividitur in *privatam*, quae fit per apparitionem, & *publicam*, quae fit per vocem preconis, seu per *proclamationem*, vel per edictum in locis publicis affixum, & haec vocatur *edictalis*. 3. In *simplicem*, qua reus vocatus citra notam contumaciae potest non comparere, donec veniat ultiorie terminus usque ad tertiam vicem, & *peremptoriam*, quae pro tribus simplicibus interponitur, & absolutam comparendi necessitatem reo imponit. Cuilibet citationi simpliciter assignantur 10. dies, peremptoriae vero 30. licet iudex, consideratis circumstantiis, terminos istos possit ampliare, aut restringere.

12. Q. I. *An citatio absentis sit necessaria ad valorem iudicii?* R. Affirmative ex *Can. 2. caveam*, 3. q. 9. & *Clem. 2. de sent. & re iud. ubi sententia contra absentem non citatum prolata dicitur esse nulla*, cum nullus inauditus sit condemnandus. Si autem reus praesens est, & statim respondere velit, non opus est alia citatione: si autem dicat se non esse paratum ad respondendum, citandus est solemniter. Porro in decreto citatio exprimitur nomen iudicis, actoris, rei, causa saltem in genere, locus, & dies iudicii; libellus autem actoris potest, sed non necessario debet mitti reo vocato, Reiff. a n. 55.

13. Q. II. *Quis citari possit a iudice, & ubi?* R. 1. Citari potest omnis, & solus jurisdictioni citantis subiectus, reus quidem principaliter, & praeter hunc omnes, quorum



num interest, arg. l. 47. ff. de iudic. nam citatio est actus jurisdictionis contentiosa, & coercitiva, ergo ex-  
 zecteci non potest, nisi in subditum; porrigi autem de-  
 bet ad eos, quorum interest. Ob eandem causam iudex  
 in alieno territorio non potest conficere decretum cita-  
 torum, multo minus reum citare realiter per capti-  
 ram, quia extra territorium jus dicitur impune non  
 parere, l. fin. ff. de iurisd. At si reus in alieno terri-  
 torio moratur, mitti ad illum potest nuntius cum liti-  
 gis citatoris; siquidem exequutio ista non est actus ju-  
 risdictionis, vel requiri potest iudex alterius territorii,  
 ut reum citet, & cogat ad comparandum. Olim certe  
 personae absolute exemptae erant a citatione, ut consu-  
 les, praetores, & alii magistratus majores, uxorem du-  
 centes, sacris operantes, funus familiare comitantes,  
 alibi causam agentes, domi suae quiete viventes, siquid-  
 em de domo sua nepo extrahi debet l. 2. 3. 18. &  
 seq. ff. de in jus voc. Alia autem vocari non pote-  
 rant, nisi cum venia Praetoris, ut parentes, patroni,  
 & generaliter eas personas, quibus reverentia prestan-  
 da est sine iussu praetoris in jus vocare non possumus l.  
 4. §. 1. l. 5. & seq. l. 14. ff. eod. Hodie omnes isti in jus  
 vocari possunt, modo in applicatione pro impetranda  
 citatione debita his personis reverentia exhibeatur, li-  
 cet actu sacris operantes, & uxorem ducentes non sint  
 vocandi, sed vocatio in aliud tempus differenda.

14. Q. III. Quando locus sit citationis realis, edicta-  
 li, & peremptoria? Re. ad 1. Citatio realis fit solum  
 auctoritate publica iudicis ordinarii in delictis gravio-  
 ribus: in causis autem civilibus tunc solum, dum reus  
 est contumax, suspectus de fuga, vel ob aliam justam  
 causam: ita com. ex l. fin. C. de exhib. reis. Iudici au-  
 tem delegato non permittitur citare realiter, nisi in qui-  
 busdam casibus, ut specialis mandati de capiendis, &  
 dum juris necessitas partes cogit ad personaliter com-  
 parandum, vel dum causa criminalis delegatur c. 1. de  
 iud. in 6. Jam si privatus aliquem incarceratione, commi-  
 tit crimen capitale privati carceris l. un. C. de privat.  
 care. nisi in flagranti delicto deprehensum, aut de fu-  
 ga suspectum ea intentione capiat, ut infra 20. horas  
 eum iudici sistat. Re. ad 2. Citatio edictalis fit in ca-  
 su necessitatis, dum reus alter citari non potest, ut si  
 malitiose latet, per se, vel per alios impedit, necita-  
 tio ad eum perveniat, vel in loco non tuto, quo  
 nuntius mitti non potest, moretur, & tunc edictum a  
 nuntio praescriptum, saltem in duobus vel tribus locis  
 publicis affigitur per duos, vel tres dies ibi permanen-  
 tium, Clem. 1. de iud. Extrav. un. de dol. & contum.  
 in. com. Auth. qui semel, C. quomodo, & quando.  
 Re. ad 3. Citatio peremptoria fit in casibus extraordi-  
 nariis, dum iudex ob justam causam non vult ut tri-  
 bus citationibus simplicibus, sed una, assignato suffi-  
 cienti termino ad comparandum, qui terminus in Ca-  
 mera Imp. est 60. dierum ex R. J. an. 1654. §. 36.

Ex const. Bened. XIII. Romanae 21. Dec. 1745.  
 a §. 5. ad §. 13. citationes camerales typis impressae at-  
 tendi debent in paribus diocesis Ecclesiasticae in causis,  
 in quibus Auditor camera est iudex competens etiam  
 in prima instantia, licet a nullo ex iudicibus ipsius  
 Auditoris, imo nec ab eorum notariis subscriptae sint:  
 scilicet & in sequentibus causis coram Cardinali signa-  
 tora Praefecto i. nempe cum petitur superfloraria ad  
 effectum adendum plenam Signaturam 2. cum citatur pro  
 subdelegatione iudicis in paribus in gradu recursus. 3.  
 cum petitur declarari causam spectare ad unum potius,  
 quam ad alium iudicem. 4. cum petitur purgatio atten-  
 tatorum in spretum ipsius Signaturae commissorum.

Non sunt tamen attendenda 1. si preventum fuerit  
 mediare legitima citatione coram Signaturae Legatio-  
 num, aut Vicelegatorum tribunali, vel si ipsi in causa  
 iam rescripserint. 2. si in causis tam summa appella-  
 bilis, quam recurribilis petitur superfloraria, vel sub-  
 delegatio, antequam iudex de paribus definitive pronun-  
 taret: bene tamen si definitive pronuntiaverit, etiam sen-  
 tentia periculis intervenit error partium, qui supplendus  
 erit a dicto Signaturae Praefecto. 3. si agatur de summa non  
 exactione scilicet quinque muneris currentis in paribus. 4.  
 si iam adsum in causa duo iudicata consequuntur, &  
 conformia. 5. si agatur de mercede diurna, vel mensura,  
 vel alimentis futuris. 6. si agatur de restitutione de-  
 positi, etiam irregularis, aut de solutione scheidana vul-  
 go pagheto, aut litterarum cambii, onerum camerarum,

communitatum, Canonem, & possessionum domus: ut & si  
 agatur de causis extra districtum summa duntaxat recur-  
 ribilis, id est non attingens valorem scutorum centum  
 in quibus, (exceptis illis, in quibus Auditor camera,  
 ut supra, est iudex competens etiam in prima instan-  
 tia) subdelegandus est iudex in paribus cum clausu-  
 lis opportunitatis.

Una autem ex dictis camerarum citationibus exe-  
 quuta, & attenda coram Praefecto Signaturae, alienon  
 sunt attendenda.

Quando autem huiusmodi citationes non suspendant  
 executionem vide additionem ad titulum de Appella-  
 tionibus. &c.

15. Q. IV. Qui sint effectus citationis valida? Re.  
 1. Citatio perpetuat jurisdictionem iudicis tam ordina-  
 riam, quam delegatam, l. 30. ff. de iudic. c. 20. de offi-  
 deleg. 2. Obligat citatum ad comparandum, nisi iusta  
 exceptio obstat, c. 2. de dol. & cont. 3. Inducit liti-  
 pendiam, & rem facit litigiosam, Clem. 2. ut lit. pend.  
 4. Interrumpit praescriptionem odiosam 30. vel 40. an.  
 ob negligentiam domini introductam, l. 7. pr. ff. C. de  
 preser. 30. Hinc etiam recoli possunt ex Pandect. lib.  
 II. tit. 2. 3. utque ad XL. inclusive.

TITULUS IV.

De mutuis Petitionibus.

1. Similis rubrica non extat in iure civili, sparsim  
 tamen haec materia attingitur, ut in seq. videbitur.  
 Sunt autem mutuae petitiones conventio, quam primo  
 actor inlituit contrarium, & reconventio, quam reus,  
 viso actoris libello, inlituit adversus actorem, vicissim  
 aliquid ab eo petendo, coram eodem iudice, & in eo-  
 dem iudicio; ita com. ex p. 1. 2. h. r. Si autem reci-  
 proca ista petitio non fieret in eodem iudicio, non es-  
 set reconventio, sed simplex nova conventio.

2. Q. I. An reus conventus reconvenire possit atto-  
 rem? Re. Affirmative ob requiritum naturalem, quam  
 insinuat l. 14. cum Papinianus, C. de sent. & interloc.  
 ibi: cuius enim in agendo observari arbitrium, cum ha-  
 bere contra se iudicem in eodem iudicio non dedigne-  
 tur, & arg. l. 1. ff. quod quisque iuris in alterum sta-  
 tuerit, eodem ipse utatur, & c. 1. 2. h. r. Atque id  
 procedit five coram iudice ordinario, five delegato cir-  
 c. 2. ita ut actor non possit se tueri exceptione pro-  
 declinatoria, cum ex dispositione juris ipsa reconventio  
 faciat iudicem competentem; nisi quis delegatus esset  
 ad instantiam utriusque partis; tunc enim reus sibi im-  
 putare debet, quod causam reconventionis non cuave-  
 rit exprimi in rescripto.

3. Q. II. An Clericus in causa civili non conexa  
 reconveniri possit coram iudice laico? Re. Negative, ar-  
 tento iure scripto; ita Abb. Laym. & plerumq. DD. con-  
 tra Gloss. in c. 1. h. r. Bald. Bart. Barb. Hamm. &c. nam  
 Can. 5. & seq. 11. q. 1. & c. 12. de for. comp. cum  
 vulgatis, & Clericus absolute prohibetur conveniri coram  
 laico, & is est incapax jurisdictionem exercendi in Cle-  
 ricum; ergo neque reconveniri potest coram laico, cum  
 reconventio fit species conventionis; prohibito autem  
 genere, censetur prohiberi omnes species sub illo  
 contentae l. 147. ff. de R. J. Quare adversarius proban-  
 dum foret, quod ius aliqui excipiat causam reconven-  
 tionis respectu Clericorum ad hoc, ut coram laico re-  
 conveniantur. Ex quo solvitur l. 14. cum auth. C. de  
 sent. & inter, Nov. 123. c. 25. l. 22. ff. de iud. c. 1. 2.  
 h. r. c. 3. de rescript. in 6. ibi: apud eosdem iudices e-  
 nam haec, & similia iura procedunt de actore, qui po-  
 test se subicere iudici alieno, & ejus jurisdictionem  
 in se prorogare quod in nostro casu Clericus generaliter  
 prohibetur c. 12. de for. comp. At si causa civilis  
 sit conexa, admittitur mutua petitio, non tam vi re-  
 conventionis, quam defensionis, & exceptionis; ut si  
 Clericus agat actione directa depositi, commodati, vel  
 ex empto, reconveniri potest actione contraria, vel ex  
 vendito, de evizione &c.

4. Re. 2. Consuetudo, vi cuius Clericus coram laico  
 reconvenitur, potest esse rationabilis, nam ob au-  
 ditoriam DD. contrariam sententiam tenentium; tum  
 ob tacitum consensum Pape scientis, & non contra-  
 dicentis, neque ius hoc dubium interpretantis; an  
 scilicet reconventio sit excepta a regula generaliter  
 li; qua Clericus coram laico conveniri prohibetur.  
 Nequit

Nequit autem Clericus coram laico reconveniri in cau-  
 sa spirituali, & criminali, ut omnes admittunt, ne-  
 que puniri a laico, sed puniri, uti & exequutio rei  
 iudicate faciendi est per Ecclesiasticum.

5. Q. III. In quibus causis locum habeat reconven-  
 tio? Re. In omnibus specialiter non exceptis, five con-  
 nexae sint, five dispartae, ut ex empto, & mutuo:  
 nam iura generaliter admittunt mutuas petitiones, l. 1.  
 §. fin. ff. de extraord. cognit. Excipiuntur 1. Causa spo-  
 litii, cum spoliatus ante omnia restituendus sit. 2. Cau-  
 sa depositi arg. c. fin. de deposi. 3. Causae exequutivae,  
 seu liquidae, quae paratam habent executionem. 4.  
 Causa appellationis, si reconventio in prima instantia  
 non fuit proposita. 5. Accusatus criminaliter non pot-  
 est alterum reconvenire criminaliter, quia non rela-  
 tione criminis, sed innocentia reus purgatur, l. 5. ff.  
 de publ. iudic. imo nec civiliter, l. 2. §. 5. ff. de iud.  
 quia causa criminalis, utpote principalis, facit filere  
 civilem, l. fin. C. de ord. iudic. At conventus super  
 delicto civiliter, reconvenire potest actorem criminaliter,  
 & tunc causa criminalis prius tractanda est, Gonz.  
 c. 1. h. r. ex cir. l. fin. C. de ord. iudic. 6. Denique  
 non admittitur reconventio reconventionis, ne in mu-  
 tuis petitionibus in infinitum procedatur.

6. Q. IV. Qui sint effectus mutuae petitionis? Re. 1.  
 Prorogatio jurisdictionis ex lege descendens, l. 29. ff.  
 de iudic. & l. 14. C. de sent. & interloc. ibi: nulla ci-  
 opponenda exceptio, quod non competens iudex agens  
 esse cognoscatur. 2. Processus simulaneus, dummo-  
 do reconventio proponatur ante, vel immediate post  
 litem contestatam, ut ita utraque causa pari passu am-  
 bulans, simul cognoscatur, & una sententia quoad pro-  
 lationem (re enim est duplex) terminetur, Clem. 2. §.  
 verum de P. S. nov. 96. c. 2. §. sancimus; quamvis  
 prorogatio jurisdictionis inducatur per reconventionem,  
 quoadcumque, utque ad sententiam definitivam, pro-  
 ponatur in eodem iudicio, c. 3. de rescript. in 6.

TITULUS V.

De liti contestatione.

Agitur de hac materia in Sexto h. r. & in Codice  
 lib. 3. tit. 9. & sparsim tit. ff. & C. de iudicis.

1. Nota 1. iudicium stitit tale inchoari a liti con-  
 testatione, quae est basis, & lapis angularis totius iu-  
 dicii, ut Bald. alique DD. asserunt. Hinc liti con-  
 testatio definitur, quod fit confirmatio iudicii facta affir-  
 matione unius, & contradictione alterius litigantis,  
 ut si dicat actor: affirmo narrata in libello, ut nar-  
 rantur, & petit ut petantur, fieri debere, & ei re-  
 spondeat reus: nego narrata, ut narrentur, & petit,  
 ut petantur, fieri debere: ita conformiter c. un. h. r.  
 ubi Greg. IX. dicit liti contestationem non fieri per  
 positiones, & responsiones ad illas, sed per petitionem  
 in iure propositam, & responsum, seu contradic-  
 tionem fecutam, puta animo ligandi.

2. Nota 2. liti contestationem dividi 1. In solemnem,  
 quae fit conceptis verbis secundum stylum Curiae, &  
 simplicem, quae fit sine certa verborum formula. 2. In  
 generalem, qua reus indeterminate negat narrata vera  
 esse, ita ut non constet, an omnia collective neget,  
 an etiam singula, & speciale, qua reus determinate  
 ad singula petitae respondet negativae. Hic etiam aliqui  
 addunt liti contestationem affirmativam; sed haec com-  
 muniter rejicitur, nisi affirmatio secum trahat contra-  
 dictionem qualificatam, vel exceptivae oppositam v. gr.  
 accipi munum, sed iam solvi; sed excepti depositum, sed  
 hoc casu interio.

3. Q. I. An liti contestatio sit necessaria ad sub-  
 stantiam iudicii plenarii? Re. Affirmative, ex c. un. h.  
 r. ubi processus alter factus dicitur irritus. Neque actus  
 iste partium consensu remitti potest, quia, cum solem-  
 nitates iudiciorum sint juris publici, partium consensu  
 tolli nequeunt ex regula l. 38. ff. de pallis. At in iu-  
 dicio summario non opus est liti contestatione, Clem.  
 2. de P. S. nec in notoriis, in quibus ordo juris non  
 observatur, c. 21. de fore. nec in iudicio coram prin-  
 cipe suscepto, cum is iurisdictionibus juris non oblige-  
 tur, l. 31. ff. de LL.

4. Q. II. Quibus modis inducatur, vel impediatur  
 liti contestatio? Re. ad 1. Liti contestatio inducitur  
 P. Remigii a S. Erasmo. Pars I.

principaliter per negationem a reo factam, vel expre-  
 se, vel tacite per confessionem qualificatam, seu excep-  
 tivam, vel per delationem iuramenti iudicialis cau-  
 sae decisivi: ita com. nam his modis actor, & reus  
 vere declarant, se velle litigare. Neque hic opus est si-  
 multanea praesentia actoris, & rei, sed sufficit, si reus  
 ex intervallo contradicat coram iudice libello actoris,  
 cum libellus semper censetur loqui nomine actoris,  
 arg. l. 2. §. 2. ff. de O. & A. At per exceptiones pe-  
 remptorias regulariter non inducitur liti contestatio,  
 nisi actor replicet. Re. 2. Impeditur liti contestatio  
 per expressam protestationem, qua reus dicit se respon-  
 dere alio, quam litigandi animo. Item exceptione de-  
 claratoria fori, vel dilatoria, vel exceptione facti, qua  
 reus dicit nullam actionem ortam esse, uti ex contra-  
 ctu de iure nullo, & invalido.

5. Q. III. Qui sint effectus liti contestationis vali-  
 dae factae? Re. 1. Liti contestatio dat initium iudicio  
 stitit tali, ut currete incipiat instantia l. 13. C. de  
 iudic. 2. Obligat partes quasi contrahentes, ut neuter  
 litigans, altero invito, recedere possit, nisi poena re-  
 mere litigantis puniri velit §. 1. Inst. de pan. temer.  
 litig. 3. Extinguit exceptiones dilatorias, & fori decli-  
 natorias, nisi nova causa reculandi iudicem emergeret,  
 c. 20. de sen. & re iud. l. 12. & fin. C. de excepti. 4.  
 Constituit possessorem bonae fidei in mala fide facta, ita  
 ut fructus non faciat suos, sed teneatur eos actori e-  
 vincienti asservere, & restituere, l. 22. C. de R. P. 5. Per-  
 petuat actiones temporales l. 1. §. 1. C. de annal. excep-  
 ti. actiones vero penales transmittit pro solido ad  
 & in haeredes §. 1. inde perp. & tempor. alt. cum alias  
 haeredes non teneantur ex delicto defuncti, nisi quan-  
 tum ad eos pervenit l. un. in fin. C. ex delict. defuncti.  
 6. Denique liti contestatio facit actionem litigiosam,  
 missam in possessionem in iudicio reali facti verum  
 possessorem, interruptit praescriptionem, non admittit  
 exactionem satisfactionum de rato habendo, & iudicatio  
 solvendo, nisi procurator primo post litem contestatam  
 constituantur l. 40. §. 3. ff. de procur. l. un. C. de satisd.  
 De quibus suis locis dicitur.

Hactenus de constituendo initio iudicii: ne vero ac-  
 tus iudiciales quoad tempus, & cognitionem pertur-  
 bare fiant, in seq. tit. a VI. ad totum XVII. traditur  
 ordinatio actuum iudicialium, qui terminum probatio-  
 num praecedere solent, donec, his expeditis, transeat  
 ad probationes.

TITULUS VI.

Ut lite non contestata, non procedatur ad testium re-  
 ceptionem, vel ad sententiam definitivam.

1. In hac rubrica, quae similem sibi in iure non ha-  
 bet, traditur regula negativa, quod in iudicio proferri  
 nec testes recipi, nec sententia definitiva proferri  
 possit ante litem contestatam: nam testes recipiendi sunt  
 super re in iudicium deducta; res autem in iudicium  
 non deducitur ante litem contestatam. At in iudicio  
 summario, in quo non requiritur liti contestatio, sta-  
 tim post actionem propositam testes recipi possunt. Si-  
 militer sententia interlocutoria super dilationibus, &  
 aliis incidentibus proferri potest ante litem contesta-  
 tam. Ceterum data regula non est sine exceptionibus.

2. Q. I. Qui sint casus, in quibus testes recipi pos-  
 sunt ante litem contestatam? Re. seq. 1. Ex parte iu-  
 dicii, si is procedat ex officio nobili ad inquisitionem  
 generalem delictorum, c. fin. §. sum & alii h. r. at in  
 inquisitione speciali praerogatur liti contestata, nisi ci-  
 tatus contumaciter absit. 2. Ex parte rei: nam is ad  
 propriam defensionem producere potest testes quando-  
 cumque, & quoscumque, & in quacumque causa five  
 civili, five criminali, ne forsan per dolam, & moras  
 actoris legitima probatione destituatur. Quo casu tes-  
 tes examinantur ad perpetuam memoriam; ut, si lis  
 reo intentaretur, testes ita examinari possint ad defen-  
 sionem rei, cum in ejus potestate non sit, quando  
 vult; conveniri. 3. Ex parte actoris: nam is ante li-  
 tem contestatam potest testes producere, non quoadcum-  
 que, sed tantum in casu periculi, ut quia timetur mors  
 testium, eo quod isti sint infirmi, vel senes decrepiti, vel  
 quia testes diti, & procul abfuturi sunt, ut in longa,  
 aut periculosa navigatione: vel quia rem gestam memo-